CONTINUATIO HISTORIÆ CULTUS SINENSIUM,

SEU

VARIA SCRIPTA

De Cultibus Sinarum, inter Vicarios Apostolicos Gallos aliosque Missionarios, & Patres Societatis Jesu controversis,


OBLATA

INNOCENTIO XII.

PONTIFICI MAXIMO,

Et Sacræ Congregationi Eminentissimorum Cardinalium dirimendæ huic Causæ præpositorum.

Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli servies.
Matth. IV. 10.





COLONIÆ,

M. DCC.

SI templo, si sacerdote, si sacrificio, quod Deo vero debetur, colatur aliquod Elementum mundi, vel creatus aliquis Spiritus, etiamsi non immundus & malus, non ideò est malum, quia illa mala sunt quibus colitur: sed quia illa sunt talia quibus ille colendus sit, cui talis cultus servitusque debetur.

S. August. de Civit. Dei lib. 7. cap. 27.

TY-



TYPOGRAPHUS LECTORIBUS.

CUm in lucem prodiisſet HISTORIA CULTUS SINENSIUM, & mox undique avidiſſimè foret diſtracta, traditæ ſunt mihi hæ ultimæ ſcripturæ, quas ſi typis ſubjicerem, ipſi Hiſtoriæ adnectendas, me Le-

ctoribus gratificaturum existimavi. Post has frustrà, ut confido, alias expectabitis.



VIN-

VINDICIÆ SCRIPTORUM
NICOLAI CHARMOT


Procuratoris Generalis Reverendiſſimi Domini Maigrot aliorumque Epiſcoporum ac Vicariorum Apoſtolicorum Gallorum Aſiæ Orientalis,

CONTRA

Dilucidationes pro Societate Jeſu ſuper rebus & ritibus Sinenſibus, idiomate Italo nuper exhibitas;

OBLATÆ,

Sacræ Congregationi Sancti Officii die 2. Septembris 1699.



Uid cauſæ ſit cur poſt exhibitas à Reverendiſſimis Pat. Societatis Jeſu tot ſcripturas Latinas in Mandatum Reverendiſſimi Domini Maigrot, nunc vulgari idiomate haſce Dilucidationes Sacræ Congregationi offerant, haud facile quis conjiciat; nec forte exiſtimandi ſint id conſilii cepiſſe, tum ut Lectoris, ob crambem toties jam recoctam nauſeantis faſtidio, varietate linguæ, occurrerent; tum ut plauſibi-

liori ſermone, quas ſingulis eorum ſcriptis Reſponſiones oppoſui, offuſa quaſi quadam caligine obſcurarent. Mihi quidem certum eſt, quæ de præſenti cauſa in ſuperioribus meis ſcriptis fuſe diſceptata ſunt, minime hic repetere; ne Lectorum otio & patientia abutar, ſed ea ſolum quæ hiſce Dilucidationibus mihi perperam objiciuntur, diluere, & ſi quæ adhuc aliquam habent difficultatem, explicare noviſque rationibus atque auctoritatibus confirmare. Porro ipſamet Auctoris Dilucidationum verba Latine reddita, ſtatimque eis meas Reſponſiones adjungam, ex quo ſpero fore ut cauſæ, quam defendo, veritas & juſtitia magis magiſque eluceſcat.

Dilucidationes.

1. Cum juſſerint Eminentiæ Veſtræ, ut nos etiam exponeremus, quæ de factis Sinenſibus ad Confucium & Parentes mortuos ſpectantibus nota habemus.

Reſponſio.

2. An Sacra Congregatio Reverendis Patribus Societatis id juſſerit prorſus ignoro. At certe ex his verbis incautus Lector non exiſtimet, hanc primam eſſe ſcripturam in qua de factis ad cultum Confucii & Progenitorum ſpectantibus egerint Patres Societatis. Hæc uſque ad nauſeam in præcedentibus ſuis ſcripturis tractarunt; nihilque novum in hac ultima, ſaltem quod alicujus ſit momenti, reperietur, ut infra patebit.

Dilucidationes.

3. Cumque hoc tempore nullus è Miſſionariis noſtris Romæ adſit, qui per ſe de his teſtimonium dicere queat. Ibid.

Reſ-

Responsio

4. Si adesset, nescio an à Sacra Congregatione tanquam testis idoneus audiretur, cum agatur de causa quam à tanto tempore tota Societas suam fecit. Neque id contra me retorquendum quis objiciat. Nam mihi, tametsi nulli Societati addicto, circa facta cultuum Sinensium fidem adhiberi nequaquam postulavi, sed ipsosmet Societatis Scriptores factorum testes adduxi in scripto cui titulus: *Veritas facti*, prout jussus eram ab Eminentissimis Patribus. Denique, Deo ita disponente, adest in Urbe Reverendus Pater Aleonessa Episcopus Beritensis electus & Vicarius Apostolicus Provinciæ Hu-Kuangensis qui pro singulari sua pietate, & linguæ ac rerum Sinensium peritia, rite de hisce factis, tum scripto, tum viva voce, testificari potest.

Dilucidationes.

5. Verum quidem est, ob varietatem & amplitudinem materiæ, & quod plerumque strictim eas res attingant (Jesuitæ Missionarii) quæ notissimæ erant iis quibuscum agebant, utpote in Sina degentibus, & à quibus circa materialitatem factorum jam diu cognitorum & ab ipsis admissorum nullatenus dissentiebant, nos non potuisse ad plenam earum rerum notitiam pervenire. N. 2.

Responsio.

6. Hæc verba: *quæ notissima erant iis quibuscum agebant*, vel intelliguntur de Missionariis aliorum Ordinum, vel de Missionariis Societatis. Si de Missionariis aliorum Ordinum, hoc est, Dominicanis & Franciscanis intelligantur, falsum est Patres Societatis circa factum cultuum Sinensium cum eis convenisse; imo contrarium

evincitur ex diversa expositione, tum Patris Joannis Baptistæ Moralis, tum Patris Martinii, quæ locum dedit duobus Decretis in speciem contrariis. Sin accipias de Missionariis Societatis, verum quidem est, eos, si bona fide agere voluerunt, inter se circa factum convenire facile potuisse. At contrarium dicendum, si de jure agatur, quod patet vel ex conventu habito in Urbe Kiating anno 1628. in quo expressè damnantur cultus Confucii, quos postea tota Societas ut innoxios & merè civiles, probabilitatis ope, defendendos suscepit.

Dilucidationes.

7. Cum bis in Orientem navigaverit (D. Charmot) atque inde hac ultima vice idcirco potissimum redierit, ut hæc negotia tantopere examinata & perspecta procuraret, videtur quod ea majori ordine & claritate exponere potuisset in particularia puncta & propositiones determinatas illa distribuendo, prout factum est hactenus ab iis omnibus, qui hos aut similes casus sacris Congregationibus proposuerunt. No. 3.

Responsio.

8. Meminerit Scriptor Societatis me è Sina profectum esse, ut provisorium Reverendissimi Domini Maigrot Edictum circa ritus Sinenses ab Apostolica Sede confirmari postularem. Datum mihi Mandatum, quanta potui diligentia, hactenus persecutus sum; Literas Reverendissimi Domini Maigrot ejusque Expositionem Summo Pontifici exhibui, ac deinde supplices Libellos variaque scripta Sacræ Congregationi obtuli, in quibus, ut existimo, rem de qua agitur, clariùs atque enucleatiùs, quam vellent Patres Societatis,

ex-

exposui, varias tum Progenitorum, tum Confucii oblationes distinguendo, & quæ in eis peraguntur, singulatim enarrando, ut facto semel constituto, quid juris sit Apostolica Sedes decernat. Hoc scriptori Societatis minimè placet. Vellet me in modum quæsitorum quosdam velut casus conscientiæ Sacræ Congregationi in abstracto proponere, ut de his Sacra Congregatio generaliter respondendo, incertum semper relinqueret quid in praxi circa ejusmodi cultus sequi oporteat, non sublata, sed potius aucta similium Decretorum, anni 1645. & anni 1656. ob diversitatem facti contrariorum, repugnantia.

Dilucidationes.

9. Meretur aliquam considerationem suppositio Domini Charmot, qua omnes ejus scripturæ nituntur, prout ipsemet initio ultimæ suæ scripturæ protestatur. Cum propositum sit, inquit ille, Sacræ Congregationi & Apostolicæ Sedi de factis Sinensibus controversis pronuntiare, utrum videlicet licita sint an illicita, hoc solum de iis exponere debemus, quod oculis videtur, quod auribus percipitur, ac præter ea nihil; quandoquidem in hoc totum consistit factum, de quo judicandum est. Quidquid ad hæc adjicias, extra factum erit, neque contendentium partium erit id exponere. No. 6.

Responsio.

10. Hæc non sunt mea verba, sed Scriptoris Societatis, qui tum hîc, tum passim in hac sua Dilucidatione tam parum accuratè hac de controversia loquitur, ut vix scripturas meas legisse videatur. Nusquam dixi de factis controversis id solum Sacræ Congregationi exponendum, *quod*

oculis videtur, *quod auribus percipitur*, *ac præter ea nihil.* Legatur præfatio ultimi mei scripti cui titulus: *Dispunctio*, quam citat Scriptor Societatis; nihil tale ibi reperietur. Sed cum agatur de confirmando provisorio Reverendissimi Domini Maigrot Edicto, quo declaratur standum esse Decreto anni 1645. omisso altero Decreto anni 1656. tanquam subreptitio ob falsam expositionem, præsentem de cultibus Sinensibus quæstionem huc redire dixi, ut constet de facto, hoc est, an illud reipsa male expositum fuerit à Martinio Jesuita anno 1656. rectè verò à Joanne Baptista Morales Dominicano anno 1645. idque ita se habere videtur Sacra Congregatio satis præjudicasse, dum jussit me factum ipsum prout à Joanne Baptista Morales expositum est, probare ex scriptoribus Societatis, id quod me præstiturum ostenderam & abunde præstitisse spero, in scripto cui titulus: *Veritas facti.*

11. Cæterum istud factum non ut ens aliquod physicum ex iis tantum quæ oculis vel auribus percipiuntur, sed ut quid morale, ex adjunctis etiam circumstantiis considerandum & ponderandum proposui, ut videre est in Notis meis sect. 1. art. 2. ubi fuse cultum Progenitorum & Confucii describuntur, & alibi passim in meis scriptis. Hoc unum contendo ejusmodi cultus, prout à me descripti sunt, esse sacros & religiosos, adeòque superstitionis & idololatriæ plenos, ac frustra, ut ab ejusmodi labe purgentur, scriptorem Societatis confugere ad primævam eorum institutionem, vel ad occultam Sinensium Literatorum in eis adhibendis mentem, quæ etiam erroribus & superstitione scatet, ut constat tum ex eorum doctrina, tum

ex

ex aliis similibus ritibus, quos adhibent erga spiritus cæli, terræ, montium, fluminum, tutelaresque genios cujusque urbis.

Dilucidationes.

12. Expositionem suam orditur (Dominus Charmot) ab adventu Patris Fratris Joannis Baptistæ Moralis Dominicani & Patris Fratris Antonii à Sancta Maria Franciscani in Sinam (*del Padre frà Gio: Battista Morales Dominicano* &c.) No. 7.

Responsio.

13. Libet hic adnotare, non sine quadam affectatione & quasi per contemptum duos hos præclaros Missionarios appellari *Frà*; quo etiam prænomine postea donatur Navarretta, qui cum ad Archiepiscopalem dignitatem in Insula Americana evectus obierit, solet appellari Illustrissimus; scilicet Patres societatis horum trium præstantissimorum Missionariorum auctoritatem, qua valdè premuntur, vellent quocumque pacto minuere.

Dilucidationes.

14. Ad majorem hujusce facti (adventus in Sinam Patris Joannis Baptistæ Moralis & Patris Antonii à Sancta Maria) dilucidationem, rogo Eminentias Vestras, ut non graventur etiam audire quæ ea de re typis edidit Pater Daniel Bartoli in sua Historia Sinensi pag. 112. Ibid.

Responsio.

15. Qui Historiam Sinensem Patris Bartoli legerit, & qua arte quibusve pigmentis Missionariorum Societatis acta referat, attenderit, totam hanc ejus narrationem de primis Missionariis Ordinis Sancti Dominici & Sancti Francisci, qui

anno 1633. & sequentibus Sinam intrarunt, flocci-facict.

Dilucidationes.

16. Antequam Pater Frater Joannes Baptista Romam pervenisset, acceptæ jam erant literæ Archiepiscopi Manilensis & Episcopi Zebutensis, quibus Urbano VIII. summo Pontifici significabant quid per totas Philippinas de ejusmodi abusibus (cultuum Sinensium) publica fama spargeret. Verùm sequenti anno 1637. duo illi Antistites melius edocti & de veritate certiores facti, missis novis literis eundem Pontificem de ejusmodi accusationum vanitate monuerunt. (Ad marginem legitur) Pater Le Tellier in Defensione Novorum Christianorum juxta correctionem & approbationem Sacræ Congregationis de Indice nuper impressa pag. 122. & 123. No. 9.

Responsio.

17. Defensionem novorum Christianorum Patris Le Tellier bis examinatam à Sacra Congregatione Indicis bisque damnatam constat; tametsi Decretum hactenus non prodierit. Novam ejus Libri editionem factam esse juxta correctionem & approbationem ejusdem Sacræ Congregationis tunc credam, cum hujus approbationis autenticum instrumentum proferetur. Contrarium enim audivi à viris Primariis qui res Sacræ Congregationis Indicis apprimè norunt. Quod attinet secundam Epistolam Archiepiscopi Manilensis & Episcopi Zebutensis, eam falsam esse ac suppositam ostendi in Notis meis sect. 1. art. 9. no. 116. de quo videndus Illustrissimus Navarretta Tom. 2. Tract. 7. pag. 366. Hæc omnia aut non legit scriptor Dilucidationum; aut si legit, dis-

diſſimulat, eandem epiſtolam denuo citans, quaſi nemo eam in dubium revocaſſet.

Dilucidationes.

18. Idem Pater Frater Joannes Baptiſta Morales in Sinam cum Decreto à ſe obtento reverſus, rebus melius examinatis & perſpectis videtur, quoad factum, de iis longè aliter judicaſſe, quam antea ſibi eas animo finxerat, & Romæ expoſuerat. Siquidem in quodam ſuo Libro apud Sinas typis edito, cum præfatum Decretum referre vellet, non totum, quale Romæ prodierat, retulit; ſed ex ſeptemdecim Sacræ Congregationis ad totidem Quæſita reſponſionibus, novem tantum, eaſque adhuc non parum mutatas ac mutilatas propoſuit No. 10.

Reſponſio.

19. Quam futilis ſit hæc objectio probavi in ſecundo meo ſcripto cui titulus: *Breves Notationes* No. 31. Piget eadem repetere. Hîc ſolum libet obſervare hujus Libelli fidem eſſe penes Patrem le Tellier qui primus illum tanquam Patris Moralis citavit. Videtur omnino huic falsò tribui, cum ejus nulla mentio fiat in Catalogo ſcriptorum ejuſdem Patris Moralis quem refert Reverendiſſimus Pater Varo Vicarius Apoſtolicus Cantonienſis & Epiſcopus electus qui cum eodem Patre Morale viginti ferè annis in China familiariter vixerat. Adde ea quæ ex Libello iſto referuntur à Patre Le Tellier eſſe planè diverſa ab iis quæ in poſterioribus & genuinis ejuſdem Patris Moralis ſcripturis leguntur, qualis eſt Libellus ſupplex ad Sacram Congregationem de propaganda fide, ab eo tanquam Miſſionum Sinicarum Præfecto, & ſeptem aliis Miſſionariis Dominicanis,

ſubſcriptus die 30. Maii 1661. itemque *Tractatus ex diverſis materiis compoſitus ad explicandas & elucidandas opiniones & controverſias quæ inter Patres Societatis Jeſu & Religioſos Sacri Ordinis Prædicatorum in hoc permagno Sinarum Regno ortæ fuerunt* &c. editus anno 1663. In utroque hoc opere Pater Morales, qui anno ſequenti 1664. dierum ac meritorum plenus, diem ſuum obiit in Urbe Focheu, non aliter de cultibus Confucii & mortuorum aliiſque capitibus loquitur, quam Romæ locutus fuerat in expoſitione ſua anno 1645. Autographum utriuſque hujus ſcripturæ eſt penes Patres Dominicanos Pariſienſes, ut ipſimet declarant in Apologia quam adverſus Librum Patris *Le Tellier* & Diſſertationem Patris *Le Gobien* adornant.

Dilucidationes.

20. Narrat §. 4. (Dominus Charmot) Patrem Martinium Romam adveniſſe & obtentum ab eo, cum facta aliter expoſuiſſet, Decretum die 23. Martii 1656. No. 13.

Reſponſio.

21. Poſt digreſſionem de uſuris, & occultatâ tum Chriſti Paſſione, tum Crucifixi effigie, de quibus nihil in Edicto Reverendiſſimi Domini Maigrot, neque in prima mea ſcriptura, redit Scriptor Societatis ad ea quæ in præfata ſcriptura habentur de Patre Martinio & Decreto anni 1656. ab eo obtento. Quid contra objiciat, audiamus.

Dilucidationes.

22. Dominus Charmot No. 181. ſcripturæ ultimo loco oblatæ (intelligit Notas meas, quæ non eſt ultima ſcriptura, ſed trium anno præterito

rito à me exhibitarum prima) hæc verba habet: *In præsenti causa duo erant Decreta, alterum legitimum & validum, alterum nullum & subreptitium: additum erat tertium quo declarabatur prius illud per posterius nequaquam rescissum fuisse, sed in suo robore permanere.* Nescio qua ratione id dici possit, aut conciliari cum declaratione ab hac Sacra Congregatione die 13 Novembris 1669. edita. Ibidem.

Responsio.

23. Non vacat mihi repetere quæ in hanc rem fuse habentur loco citato, videlicet Notarum sect. 1. art. 12. n. 179. & sequentibus. Item eadem sect. art. 5. n. 46. & sequentibus, nec non in Brevibus Notationibus n. 233. Hæc si attente & æquo animo legisset Scriptor Societatis, toties confutatam objectionem hic de integro non renovaret.

Dilucidationes.

24. Cum agitur non de privilegiis, vel concessionibus, vel aliis Decretis liberis summorum Pontificum, sed de Decretis seu declarationibus in materia dogmatica & scientifica, quibus declaratur an quidam actus sint sua natura liciti, vel illiciti, non videtur de iis sic judicandum ac loquendum, neque existimandum ejusmodi Decreta non subsistere, nisi reipsa & à parte rei detur hoc vel illud factum, hic vel ille actus qui licitus aut illicitus declaratur: & ratio est, quia in condendis hujusmodi Decretis, non quæritur, non supponitur, non declaratur quod detur & non detur istud factum, quod res quæpiam existat, vel non existat; sed declaratur quod actus hic, sive detur, sive non detur, licitus est vel illicitus. No. 15.

Ref-

Responsio.

25. En qua ratione Patres Societatis nitantur hanc causam implicare, & ejus decisionem impedire, ut videlicet Sacra Congregatio ad diversa quæsita quasi ad quosdam casus conscientiæ generaliter respondens, intactum relinquat Decretum à Patre Martinio per subreptionem obtentum, sicque inter Missionarios totius Orientis in rebus tanti momenti schisma in infinitum producatur; aliis cultus confucii & Progenitorum tanquam superstitionis & idololatriæ plenos juxta Decretum anni 1645. respuentibus; aliis verò, id est Patribus Societatis, eosdem cultus, probabilitatis ope, & auctoritate Decreti anni 1656. tanquam licitos defendentibus; quam discrepantiam novum Decretum ad quæsita solum respondens non tolleret; sed potius foveret, magnoque Missionum illarum damno, non sine Orbis Christiani admiratione, quasi perpetuam redderet.

26. Præterea captiosa est distinctio Decretorum Pontificiorum, quam affert Scriptor Societatis, neque præsenti causæ applicari potest. Apostolica Sedes, dum majores causas, quæ ad fidem vel præcipua & generalia Disciplinæ capita spectant, tanquam ei speciatim reservatas dijudicat, non Casuistarum more, ad quæsita vel casus in abstracto propositos solet respondere, imo propositiones dogmaticas, nisi constet eas doceri ac disseminari, examini & censuræ non subjicit. Idem observant summi Pontifices & Concilia, quoties agitur de tollendo ex Ecclesia Dei aliquo gravi abusu. Non satis habent ad quæsita generatim respondere, *hoc licet*, *hoc non licet*, sed agnita semel ac stabilita veritate facti, abusum illum

illum abſolutè condemnant. Sic, verbi gratia, cum Alexander III. in Concilio Lateranenſi nundinas ſeu ferias, quæ vulgo Torneamenta dicebantur, damnavit, non in modum reſponſionis ad quæſitum ſeu caſum conſcientiæ Decretum ſuum formavit, ſed agnita & ſuppoſita facti veritate, rem ipſam tanquam pravam & illicitam abſolutè prohibuit. C. *Fœlicis memoriæ. De Torneamentis.* Sic purgationem dictam vulgarem per duellum, ferrum candens, vomerem, aquam calidam & frigidam Pontifices & Concilia abſoluto ac decretorio judicio prohibuerunt. Sic Monomachiam ſeu duellum iidem Pontifices & Concilium Tridentinum omnino condemnarunt.

27. Denique non per ſimplicem conſultationem, hæc cultuum Sinenſium cauſa ad ſummum Pontificem delata eſt: de hac, proviſorio Edicto Reverendiſſimus Dominus Maigrot judicavit, Edictumque ſuum ab Apoſtolica Sede confirmari ſupplicat, contradicentibus Patribus Societatis, quibuſcum cauſa ita jam inſtructa eſt, ut factum ipſum, ſaltem quod ſpectat ad cultus Confucii & Progenitorum, non negent, ſed potius de eo concordent, ut patet ex eorum ſcriptis, & potiſſimum ex hac ultima ſcriptura. Quid igitur obſtat, quominus cauſa hæc abſoluto & definitivo Sanctæ Sedis judicio terminetur?

Dilucidationes.

28. Veniens ad punctum præcipuum, & forſan unicum hujus controverſiæ, dico in Expoſitione Patris Martinii nullam eſſe falſitatem: & D. Charmot non ſolum aliquam ibi eſſe falſitatem non probat, ſed ſi ejus ſcripta attentè legantur, nullam falſitatem adducit, vel ei opponit. No. 16.

Reſ-

Responsio.

29. Vix credam Scriptorem Socitatis attente legisse mea scripta. Consulat Notas sect. 1. art. 3. no. 22. & sequentibus, ubi Patris Martinii in exponendo cultuum Confucii & Progenitorum facto subreptionem & obreptionem pluribus ostendi: Videat etiam Breves Notationes, No. 74. 75.

Dilucidationes.

30. Res ita geritur: post finitum examen, & declarata ac publicata nomina Graduatorum vel Graduandorum; post peractam aliam quamcumque ceremoniam, quam Dominus Charmot appellat Graduationem, quod quidem totum fit extra *Miao* Confucii, id est extra illam Aulam, in qua imago seu tabella Confucii habetur, præfati Graduati vel Graduandi se conferunt ad *Miao*, seu prædictam Aulam Confucii, ubi secundam obeunt functionem. Ibid.

Responsio.

31. Contorta Oratio, ut insinuetur duplicem esse graduationis actum, unum, qui in Gymnasio Literatorum celebratur, alterum qui tanquam prioris complementum in æde Confucii perficiatur: unde gradu donatos in Gymnasio, non simpliciter Graduatos, sed adhuc *Graduandos* appellat; quæ quidem falsò dicuntur. Gradus enim in Gymnasio conferuntur, ubi renuntiati Doctores & Licentiati vestitu aliisque insignibus sui gradus ornati, demum à Gymnasio ad ædem seu templum Confucii se conferunt, eum tanquam Philosophiæ Parentem & communem Magistrum veneraturi. Male etiam *Miao* Aulam interpretatur, cum hæc vox propriè apud

Chinas

Chinas ædem facram feu templum fignificet. Denique folam imaginem feu tabellam Confucii commemorat, cum minimè reticendum fuerit, tabellam iftam infcribi: *Sedes feu Thronus Spiritus fanctiffimi & fuperexcellentiffimi Protomagiftri Confucii*; itemque communiter Sinenfes Literatos credere, quod fpiritus Confucii, tempore oblationum, ad eam tabellam adveniat ibique refideat. Hæc omnia Scriptor Societatis, exemplo Martinii, parum fincerè proponit.

Dilucidationes.

32. Nunc quæro à Domino Charmot, an die illo quo Graduati hanc obeunt functionem in Confucii *Miao*, ipfi vel alii coram ipfis, aut ftatim atque difcefferunt, aliquam Confucio oblationem faciant, an tunc temporis eaque occafione cervus, aut porcus, aut capra, vinum, panni ferici offerantur. No. 18.

Refponfio.

33. Non hæc quæreret Scriptor Societatis, fi legiffet Notas meas, No. 17. ubi hæc ceremonia refertur. Ibi non dixi vel cervum vel porcum, vel aliud quid à Graduatis offerri, fed potius contrarium difertè fignificavi, obfervando eos tantummodo, accenfis fuper menfam feu altare cereis, cum odoramentorum fuffitu, coram tabella Confucii quater genuflectere, terram fronte percutientes. At cum hæc fiant in *Miao*, hoc eft templo Confucii, coram ejus tabella infcripta prout fupra retuli, connexionemque habeant cum aliis folemnioribus oblationibus, quæ bis per annum ab iifdem Literatis, cum omni veri facrificii apparatu, celebrantur, nequaquam fuperftitione & idololatria carent. Deinde quandoquidem

quidem cerei accensi, ardentia super prunas odoramenta Graduatorum pecunia antea comparata sunt, ea Confucio ab eis offerri rectè dicuntur. Unde minimè concedendum nullam in hac ceremonia oblationem à Graduatis fieri, tametsi non offerant animalia, vinum, pannos sericos, ut fit in solemnioribus oblationibus. Id toties & tam aperte dixi, ut mirum sit Scriptorem Societatis objicere mea dicta aliud significare, nisi attentè legantur. Hæc pueriliter, ut non dicam ineptè, coram Eminentissimis Patribus mihi objiciuntur.

Dilucidationes.

34. Oblationes quæ Sinis dicuntur *ci*, & à Domino Charmot vocantur sacrificia, toties ab eo descriptæ & repetitæ Confucio fiunt à Gubernatoribus Urbium, ubi primum dignitatis suæ possessionem adierunt: ab eisdem de integro fiunt sexto quoque mense cum iisdem solemnitatibus; minori verò solemnitate bis per mensem, novilunio videlicet ac plenilunio. No. 19.

Responsio.

35. Has solemnes oblationes appellavi sacrificia, tum quia nihil eis deest ad rationem veri sacrificii, tum quia vox *ci* apud Sinas propriè significat sacrificium, ut patet ex Dictionariis Sinensibus; quin & ipsimet Patres Societatis non alio utuntur verbo ad significandum Sacro-Sanctum Missæ Sacrificium. At nusquam dixi solemnes has oblationes fieri à Gubernatioribus Urbium, ubi primum dignitatis suæ possessionem adierunt. Duplices Confucii oblationes distinxi in Notis, sect. 1. art. 2. no. 12. & sequentibus. Alias vocavi solemnes, quæ bis in anno, vere scilicet & autumno, in singulis civitatibus à Guber-

Gubernatore, comitantibus aliis Officialibus & Literatis, celebrantur: Alias verò minus folemnes, quas inter fecundo & tertio loco numeravi eas quæ fiunt tum à Mandarinis feu Gubernatoribus Urbium cum dignitatem fuam ineunt; tum ab iifdem Mandarinis bis fingulis menfibus, hoc eft, primâ & decimâ quintâ die lunæ, antequam ad forum feu audientiam pergant. Quid fibi velit Scriptor Societatis hæc omnia permifcens, prorfus ignoro. Si hanc mihi rerum confufionem tribuit, fcripta mea non legit, fin verò hæc de fuo profert, rerum, de quibus fcribit, valdè fe rudem atque imperitum prodit.

Dilucidationes.

36. Hifce oblationibus vocatis *ci* poffunt intervenire omnes Literati, & frequentes folent intervenire, nullo tamen modo ad id obligantur, nifi fint in Præfectura aut publico munere conftituti. Ibid.

Refponfio.

37. Hæc gratis & fine ulla probatione dicuntur. Contrarium patet ex Regiis Decretis. Unum fuffecerit referre citatum à Patre Brancato in Apologia Societatis noviffimè à Patribus Societatis exhibitâ, cujus copiam mihi fecit Illuftriffimus Dominus Affeffor, ubi refert Imperatorem *Humvu* qui ante circiter quadringentos annos vixit, multa de cultu Confucii ftatuiffe; inter alia autem „ut Mufici & Gefticulatores (funt hi qui ferentes „ manibus ferica vexillula ad concentum fiftularum, „ nunc deprimunt, nunc elevant, nunc à læva ad „ dextram, & contrà vexillula agitant) feligerentur „ ex illo Literatorum Ordine qui dicuntur *Kiem* „ *Sem*: Item ex Filiis magnorum Mandarino-

„rum togam vel arma ferentium. Qui vero sunt „Baccalaurei præmaturè ceremonias hasce do-„ceantur, & in his sedulò se exerceant. In Apologia Patris Brancati No. 500. p. 101. in fine, & pag. 102. in principio.

Dilucidationes.

38. Rogo quidnam mali, idololatrici vel superstitiosi occurrat in primo actu qui sit extra *Miao*, & quid in secundo qui in ipso *Miao* peragitur, No. 20.

Responsio.

39 Respondeo distinguendo quæ Scriptor Societatis confundit. In priori actu nihil occurrit nisi civile, scholasticum, politicum: in posteriore multa sunt superstitiosa & idololatrica, quòd in *Miao*, hoc est templo Confuciano peragantur, quòd ante tabellam Confucii sic inscriptam: *Sedes Spiritus sanctissimi ac superexcellentissimi Protomagistri Confucii*, in qua invitatus ejus spiritus tempore oblationum resideat; denique quòd hæc minus solemnis oblatio sit velut appendix & quædam commemoratio solemnis oblationis quæ bis in anno celebratur, vere scilicet & autumno, & in qua victimæ, vinum, panni serici, & alia quæ ad *Ci*, hoc est verum sacrificium pertinent, offeruntur. Vide supra No. 36.

Dilucidationes.

40. Quid rogo conveniens erat à Patre Martinio de utraque illa functione (Graduatorum cùm gradus accipiunt), exponi, & ab eo expositum non fuit? Si quid tale occurreret, certè illud observasset Dominus Charmot, qui tot paginas consumpsit in declamando contra Patrem Martinium, ea solùm proferens quæ à Gubernatoribus in adeundo munere, & singulis bimestribus peraguntur. No. 22.

Res-

Responsio.

41. Errat Scriptor Societatis ea tribuens oblationi Gubernatorum in eorum administrationis initio, quæ propria sunt solemnium oblationum & veris & autumni, ut jam observatum est. Neque etiam verum est me objecisse Martinio quod in exponenda Graduatorum oblatione, ea subticuerit quæ in aliis tantùm oblationibus locum habent. Legat Notas meas, art. 3. n. 23. 24. 25. 26. 27. & quid in Expositione Martinii circa oblationem Graduatorum culpaverim, deprehendet.

Dilucidationes.

42. Cum agitur de facto aliquo particulari, ac de eo quæritur an sit licitum vel illicitum; ut quis notam falsitatis effugiat, non debet commemorare singula alia facta, quæ aliàs in eodem loco fiunt, tametsi ab iisdem personis peragantur N°. 25.

Responsio.

43. Meminerit Scriptor se dicere supra N°. 6. *Nos hîc esse in materia morali, in casibus conscientiæ: in simili autem materia neminem vel doctissimum Theologum aliquod judicium ferre posse, nisi plenè de toto facto informatus sit.* Itaque Martinius interrogando de oblatione Graduatorum, alias oblationes Confucianas, & præcipuè solemnes quæ vere & autumno celebrantur, non debuit omittere, cum magnam inter se habeant cognationem, & non solum ab iisdem personis, in eadem æde sacra, coram eâdem Confucii tabellâ, sed eadem de causa, & pari animi affectu omnes ac singulæ peragantur. Unde meritò ob hanc Martinii reticentiam dicitur Decretum esse subreptitium.

Dilucidationes.

44. Respondeo quantum ad omnes illas functiones tanto cum apparatu relatas, & toties repetitas, etiam cum additione multarum rerum quæ non subsistunt & à vero aberrant, ut suo loco explicabitur, neque hoc tempore, neque unquam fuit ulla difficultas vel discrepantia Missionariorum Jesuitarum ab aliis Missionariis in eo quod ad praxim spectat; quandoquidem Jesuitæ protestantur, ac semper protestati sunt se prohibere, & nunquam non prohibuisse Neophytos suos ab ejusmodi functionibus . . . . ut quid igitur Dominus Charmot illas toties & cum tanto apparatu describit, aliqua etiam de suo adjungendo? N°. 27.

Responsio.

45. Quod solemnes Confucii oblationes describendo, aliqua de meo addiderim, dicit quidem Scriptor, sed non probat. Probaturum postea pollicetur, sed quonam loco id facturum sit, non significat. Jam verò an verisimile sit quod Missionarii Jesuitæ semper à principio Missionis, usque ad hanc diem solemnes Confucii oblationes suis Neophytis interdixerint, videsis Notas meas, sect. 1. art. 4. n. 41. & sequentibus, itemque Breves Notationes, n. 82. & sequentibus.

Dilucidationes.

46. Ergo, inferet Dominus Charmot, Jesuitæ assentiuntur & fatentur, oblationes illas dictas *ci*, quæ Confucio fiunt, esse idololatricas, vel saltem superstitiosas, cùm hæc una sit ratio illas prohibendi. Respondeo nos istud non concedere, sed potius negare, semperque negavisse. Licet enim eas

Je-

Jesuitæ pro idololatricis aut superstitiosis non habeant, eas tamen semper prohibuêre, & quidem non sine causa. Ex una parte nemo privatus, tametsi ex secta seu classe Literatorum, hujusmodi solemnibus ceremoniis seu oblationibus intervenire cogitur: ex alia vero parte ceremoniæ illæ, ut minimùm inutiles sunt, & aliunde, ut plurimùm valdè periculosæ, cùm ex eis facilè quis induci queat in aliquam superstitionem vel errorem, vel scandalum: id quod satis fuit ut eas nostri generaliter prohiberent. Illud erroris, scandali aut superstitionis periculum in aliquibus erit gravissimum, in aliis levissimum. Unde tametsi non contineant (oblationes ista) ullum actum idololatricum, ullum superstitiosum, alii ab iis abstinere debebunt sub pœna gravis delicti, alii sub pœna culpæ venialis, alii denique ex mero consilio. Sed omittendo illas divisiones, & distinctiones, prohibitæ sunt omnibus sine discrimine, verbis generalibus & confusis, relinquendo prudentiæ & judicio Confessariorum particulares casus, in quibus ob specialissimas circumstantias interdum exceptioni locus esse posset. No. 28.

Responsio.

47. An semper Jesuitæ neophytis suis solemnes Confucii oblationes prohibuerint, aut etiamnum generaliter prohibeant meritò dubitatur. De hoc aliàs non uno loco egimus. Hîc solum observo malè compactum esse totum istud systema opinionis Jesuitarum circa *ci* seu solemnes oblationes Confucii. Hinc enim volunt *nullum* in eis contineri *actum idololatricum vel superstitiosum*, etiam prout à Gentilibus Literatis peraguntur, sed esse rem merè civilem & politicam: Illinc

verò fatentur cultus illos esse valdè periculosos, cùm indè facile sit induci in superstitionem, errorem, vel scandalum. Atqui in materia superstitionis & idololatriæ, hoc est gravissimi contra Decalogum delicti, non ex mero consilio, sed ex præcepto fugiendæ sunt occasiones, quæ nos ad tam grave peccatum vel scandalum inducunt, juxta regulam Apostolicam: *Fugite ab idolorum cultura*; & novum atque hactenus inauditum in Ecclesia, in simili materia arbitrio Confessarii relinquere, ut ob speciales circumstantias Christianis ejusmodi periculum, quod semper cum aliorum scandalo conjunctum est, adire permittat.

48. Falsum item, liberum prorsus esse Literatis Sinensibus, ab ejusmodi solemnibus oblationibus Confucii abstinere, nisi publico aliquo munere fungantur. Contrarium supra patuit No 38. ex Decreto Imperatorio ibidem relato. Sed ponamus solos Mandarinos eorumque Officiales pro munere suo ad solemnes illas oblationes peragendas constringi; nonne quamplurimos Mandarinos, tum Pekini, ubi est Aula Regis, tum in aliis Civitatibus & locis inter Neophytos suos numerant Jesuitæ? Quæro num hactenus Mandarinis aliisque Officialibus Christianis ejusmodi oblationibus ministrare aut interesse prohibuerint; an verò Confessarii ob speciales causas & publicum bonum id illis permiserint. Hoc ultimum mihi probabilius fit, cùm inauditum sit hactenus in China, aliquem Mandarinum vel Literatum è Christianis munere aut gradu suo excidisse, quod contra publicas Regni leges, istis oblationibus noluerit ministrare vel interesse.

49. Sed

49. Sed nihil æque labat in hac Jesuitarum sententia, quam quod apertè declarant se solemnes illas oblationes Confucii pro innoxiis habere, nullumque in eis reperire actum idololatricum vel superstitiosum. Nam primò contradicunt Decreto anni 1645. quo ejusmodi oblationes absolutè prohibentur, tanquam idololatriâ & superstitione infectæ, juxta expositionem Joannis Baptistæ Moralis, quam Martinius veridicam esse tacitè agnovit, nihil de ejusmodi oblationibus anno 1656. interrogando, imo & quam hodiedum Jesuitæ, in iis quæ spectant ad factum, falsi non audent arguere. Secundò contradicunt etiam Decreto anni 1656. in quo solemnes mortuorum oblationes, juxta subreptitiam Martinii expositionem ita permittuntur, ut aliqua in eis superstitiosa esse dicantur, quæ tolli debeant, & quibus, cum à Gentilibus peraguntur, Christiani, facta fidei protestatione, assistere possint. Cum enim solemnes Confucii oblationes eodem ritu, ac solemnes mortuorum oblationes, imo & majori pompa peragantur, quî fieri potest ut in his multa sint superstitiosa, in illis verò nullus omnino actus idololatricus vel superstitiosus occurrat?

50. Postremò rem de qua agitur, non satis videntur attendere Patres Societatis. Quid enim à communi Christianorum sensu magis alienum, quam ab omni idololatriæ, vel superstitionis labe eximere solemnes Gentilium oblationes, in quibus præmittuntur à Ministris jejunia, abstinentia à thoro conjugali, delectus victimarum & sortitio diei ad hanc ipsam functionem obeundam: quæ in *Miao* hoc est æde ad hoc speciali ritu consecratâ, primo diluculo celebrantur; in queis

coram tabella sic inscripta: *Sedes Spiritus sanctissimi & superexcellentissimi Protomagistri Confucii*, accensis cereis & cum odorum suffitu à præcipuo Ministro offertur caput porci, capræ, vel cervi, quorum animalium sanguis & pili postmodum terræ infodiuntur; vinum solemniter libatur; panni serici coram eadem tabella offeruntur, ac deinde ante vestibulum igne comburuntur; additis ad singulos actus variis genuflexionibus & salutationibus, unà cum encomiis Confucii & orationibus; quibus spiritum ejus, ut adsit, tabellæque insideat & oblatis fruatur invitant, ac postea abeuntem cum gratiarum actionibus comitantur, quæ quidem singula in eorum Libris Ritualibus præscribuntur: Quis, inquam, hæc attendens, non miretur reperiri in Ecclesia, qui hujusmodi cultus ab omni idololatria & superstitione puros asserat, & seriò apud Apostolicam Sedem in dubium vocari, an talia Christianis permittenda?

51. Pudet hic notare Moros seu Mahumetanos meliùs ac saniùs de hisce cultibus judicare quam Patres Societatis, quod quidem argumentum in prioribus meis scriptis omissum, libet hîc tractare, ut adhuc clarius pateat apud Sinas Cultus Confucii & progenitorum non haberi ut civile quid ac politicum, sed ut quid sacrum ac religiosum, ac proinde rejiciendos esse à Christianis tanquam idololatricos ac superstitiosos. Observandum itaque in China multos esse Moros seu Mahumetanos, qui à sexcentis circiter annis in eam ex vicino Regno migrarunt, ibique contractis cum fœminis Sinensibus matrimoniis mirum in modum creverunt. Eos facilè ad decies cen-

centena millia esse mihi confirmavit Reverendiss. Episcopus Beritensis electus. Iam diu autem ab Imperatoribus Sinensibus civitate donati sunt, & à Sinis indigenis non distinguntur. Habent in præcipuis Urbibus sua delubra; ubi ritu Mahumetano Deum adorant. Quin & multi Sinicam Philosophiam colunt; atque in secta Literaria ad gradus, ac deinde ad Mandarinatus, saltem inferioris ordinis, evehuntur. Hæc narrantur apud Illustriss. Navarrettam Tom. 1. Tract. 2. pag. 83. col. 1. (a), & apud Patrem Semedum Jesuitam Relationis Sinicæ part. 1. cap. 30. (b). Porro, inquit Navarretta; *qui ad gradus sectæ Literariæ*

 aut

(a) *En integrum locum Navarrettæ: La secta de los Moros, ha mas de quatrociento anos, que entrò en China: casi se ha quedado entre ellos mesmos, pero con los casamientos han multiplicado mucho; passan de quinientos mil; tienen sumptuosos templos. En hangcheu imos uno, de tam hermosa vista, y portada, que podia luzir muy bien en Roma. Estudian los Moros las ciencias Chinicas, graduandose, y suben à Mandarines de letras, y armas; pero en graduandose, ò entrando en Mandarin alguno dellos, le tienen por Apostota de su Ley; de suerte que tienen los Moros por incompatible la secta Literaria con la suya propria, que reconosce un Dios verdadero, aquien dan los mesmos attributos, que nos otros, si bien admitten errores intolerables.*

(b) *En ipsa verba Semedi. Vi sono di più nella Cina Mori in gran copia, non in tutte le Provincie, nè in ogni Città. Son pero nelle migliori: parlano la lingua propria del paese: della sua, levate*

aut Mandarinatus provehuntur, ab aliis tanquam Mahumetanæ legis Apostatæ habentur; ita ut Mori persuasum habeant Literariam sectam cum sua sociari non posse; quod certe non existimarent, nisi pro certo haberent sectam Literariam cultibus idololatricis infici: unde Pater Semedo postquam ait Moros studiis vacare, & ad gradus minoresque Mandarinatus promoveri, à Sinis tanquam externos despici observat; statimque addit, *quod sicut Sinæ Moros tanquam externos despiciunt, ita vicissim Mori Sinas tanquam idololatras & Gentiles contemnunt.* Aliud etiam observat Semedo, nimirum Moros fœminas Sinenses libenter ducere in matrimonium, quòd uxores mariti religionem sequantur, nunquam verò filias suas Sinensibus in matrimonium tradere, ne videlicet

vate alcune parole, niente sanno. Sanno ancora molte cose della sacra Scrittura. . . . . . . Nella fisionomia, naso, occhi, barba, e faccia, sono totalmente come li Cinesi. Sono mercanti, medici, hanno officii nelli Tribunali: Studiano, entrano negl'esami, & arrivano ad essere Mandarini, mà non delli magiori: l'ordinario è fermarsi nel grado di Licentiato.

Hanno le loro Meschite publiche, concesse dalli Re: osservano la lor legge non molto esattamente. Quelli che arrivano à prender grado di Letterato, ò dignità d'officiali, non si curano molto di avanzarsi.

Si conservano frà loro, casandosi gli uni con gli altri: prendono anco per mogli Donne Cinesi, mà non danno giamai le loro figliole à marito à figli di Cinesi. La ragione è, perche nella

licet à veri Dei cultu ad idololatriam & Gentilismum transeant; quod generaliter de omnibus Sinis etiam Literariæ sectæ Semedum intelligere ipsa narrationis series ostendit.

52. Notandum etiam Moros in China tabellas Progenitorum non habere, neque capellas eis dedicatas, ut ipsemet audivi à Reverendissimo Aleonessa Beritensi Episcopo electo & Vicario Apostolico, quòd videlicet totum illum Parentum mortuorum cultum apud Literatos receptum pro idololatrico & superstitioso habeant.

53. Quæres de Moris ad gradus aut Mandarinatum

nella Cina la moglie segue il marito; và in casa del socero, ivi stà, habita, e seguita la legge di quello; e cosi venendo Gentili alle case delli Mori, si fanno More; mà andando More alla casa delli Gentili, infallibilmente diventerebbono Gentili.... I Cinesi gli disprezzano come stranieri, e gli chiamono hociteu, hoci, hoci. . . . . *Se sono sprezzati dalli Cinesi, essi ancora sprezzan loro, perche adorino gli idoli, e siano Gentili: e cosi niente deve uno all'altro.* . . . .
Entrarono nella Cina, saranno sette cent'anni, chiamati dal Rè di quel tempo da Turquestan, in aiuto per dissensioni, che erano nel regno, con successo cosi prospero, che quelli che allora vollero restare, restarono col privilegio di naturali del paese; e s'andarono moltiplicando in maniera, che hora arrivano à molte mighiara. Doppo nella guerra, la quale Humvù *fece con li Tartari, sono da trecent'anni, essi furono dalla parte sua, e lo aiutarono: & essendo quel Rè stato vincitore, restarono anche con maggiore stima, e furono ammessi al governo.*

rinatum admiſſis, an poſt acceptum gradum, vel antequam Mandarinatûs munus adeant, ad ædem Confucii, ſe conferant, eum, ſolito more, ut communem Magiſtrum venerаturi. Reſpondeo me nihil de hoc inveniſſe apud Illuſtriſſ. Navarrettam, Semedum aut alium ſcriptorem. Forſan ab hac cœremonia tanquam eorum religioni repugnante eximuntur; ſin verò aliqui ad hos ſe cultus abripi patiuntur, tunc jure merito à reliquis Moris, tanquam Apoſtatæ & Gentiles habentur, de quibus ſolis videtur intelligendum, quod ſupra ait Illuſtriſſ. Navarretta, Moros, qui ad gradus ſectæ Literariæ & Mandarinatus provehuntur, reliquis Moris tanquam Mahumetanæ legis deſertores exoſos eſſe. De his interrogari poteſt præfatus Reverendiſſ. Alconeſſa, qui longôs annos Nankini, ubi Mororum magna eſt multitudo, habitavit.

54. Ex his patet quinam ſit communis ſenſus Mororum aliorumque Sinenſium circa cultus Confucii & mortuorum. Neque enim Mahumetani vivos parentes aut Magiſtros, Sinarum more, ſalutare aut revereri dubitant; quod civilis ac politicus ſit ille cultus. At à Confucii mortuorumque parentum cultibus tanquam idololatria & ſuperſtitione infectis abhorrent. Certè Mahumetanos Chriſtianis hac in re antecellere, magiſque ab idololatria alienos eſſe, valdè mirandum eſt.

Dilucidationes.

55. Miſſionarii Jeſuitæ in ſcriptis ſuis adducunt exemplum luſus chartularum pictarum, qui licèt generaliter damnari non poſſit, tanquam intrinſecè malus, & nulli permiſſus, tamen ob annexa & conſequentias, cum parentes filiis ſuis pro-

prohibent, ac multo magis vetant, ne domi aleatores ad ludendum admittant. No., 30.

Responsio.

56. Præclarum certè exemplum & lepidam comparationem? Omitto laxam & mollem Scriptoris Societatis doctrinam, qua lusus aleatorius culpâ absolvitur, & per se indifferens esse dicitur, tametsi lege civili æque ac canonica damnetur, & à Casuistis quoque, si frequens sit, aut magna pecunia interveniat, à gravi culpa non eximatur. Sed ponamus in certis casibus aleam esse licitam seu omni culpa vacare; quæ similitudo lusum inter aleatorium, & cultus idololatricos ac superstitiosos intercedit? In lusibus datur parvitas materiæ, quando exigua est summa, & ob recreationem luditur. At in materia idololatriæ & superstitionis, vel levissimus actus gravi culpa non caret, omnemque idololatriæ suspicionem & vel tenuem umbram fugere debent Christiani. Quid igitur, ubi patens & aperta est idololatria?

Dilucidationes.

57. Circa quod rogo Eminentias vestras, ut mihi permittant pro ulteriori facti informatione, in modum Historici referre quid ea de re (an videlicet Sinæ Confucium ut aliquod numen habeant) apud Bartolum mihi occurrit, Lib. 1. Historiæ Sinensis No 31.

Responsio.

58. Nullam esse Bartoli in hac materia auctoritatem jam supra observavi: neque relata hîc ab eo narratio Patris Manuelis Diaz Viceprovincialis ad rem facit. Quodcumque Sinæ per spiritus montium, fluminum, urbium, Confucii aliorum-

aliorumque insignium virorum intelligant, vanus est, superstitiosus, idololatricus cultus, quem illis exhibent, tametsi Confucium aliosque insignes viros nequaquam ut numina adorent. Videsis Notas sect. 1. art. 10. n°. 133.

Dilucidationes.

59. A nullo unquam sive Literato, sive Plebeio invocatur Confucius, nequidem in publicis & gravissimis calamitatibus terræ-motus, pestilentiæ & aliis similibus N°. 32.

Responsio.

60. Veteres Græci & Romani Æsculapium, verbi gratia, nonnisi ad depellendos morbos & obtinendam sanitatem invocabant: nihilominus eum ut numen habebant. Quid si Literati in China Confucium tanto apparatu venerantes non aliud sperent aut petant, quam ingenium aptum ad scientias artesque liberales comparandas, quibus ad honores & dignitates aditum sibi faciant; an cultus hujusmodi à superstitione & idololatria vacabit?

Dilucidationes.

61. Aliud extat Decretum Imperatorium quo ad ritus Confucii admittuntur cujuscumque generis homines, & ab iis excluduntur soli Bonzii, habiti ab omnibus ut Sacerdotes. Ibid.

Responsio.

62. Quid mirum si Bonzii Sacerdotes sectæ idololatrarum, quæ nihil penè commune habet cum secta Literaria, ad cultus Confucio exhibendos non admittuntur? Id etiam dixit Martinius in sua expositione his verbis: *Nullus intervenit Sacrificulus, vel ex idololatrica secta Ministellus*; ut inde inferret ab idololatria puros esse Con-
fucii

fucii cultus: Sed vana eſt hæc conſequentia. Puri enim ſunt cultus Confucii à craſſa illa idololatria quæ in Pagodis Bonziorum locum habet, non verò à ſubtiliori Literatorum idololatria, qui cœlo materiali, & ſpiritibus terræ, montium, fluminum, urbium &c. ſacrificant, quæ quidem idololatria eò pejor eſt & periculoſior, quò cum Atheiſmo conjungitur.

Dilucidationes.

63. Sed quid dicemus de cervo, porco, capra, vino, pannis, odoramentis, genuflexionibus? Breviter totum dicemus, id unum obſervando quod Dominus Charmot, cum planè norit, exponere poterat, videlicet res illas ſingulas Confucio oblatas, conjunctim & diviſim quotidiè à Sinis offerri non ſolum mortuis, verùm etiam vivis; non ſolum præſentibus, ſed & abſentibus. Sic ſe gerunt erga novos Mandarinos &c. N°. 35.

Reſponſio.

64. Quæ Confucio offeruntur, præſertim bis per annum in ſolemnibus oblationibus, diviſim & conjunctim à Sinis quotidiè offerri vivis tum præſentibus, tum abſentibus, non ſolum mihi ignotum eſt, ſed falſum id eſſe certò ſcio. Genuflexiones quidem more Sinico Gubernatoribus & Mandarinis, vel etiam hoſpitibus fieri ſolent: eis etiam occiſa animalium corpora integra vel per partes offeruntur; ſed hæc ex loco aliiſque adjunctis, intra civilem cultum contineri ſtatim agnoſcitur: at cereis accenſis ſupra menſam in modum Altaris thus & odoramenta cremari, caput animalium pridiè occiſorum ſolemni ritu offerri, vinum libari, pannos ſericos, poſtquam ſimili-

similiter oblati sunt, igne absumi, pilos & sanguinem animalium terræ mandari; eaque singula fieri coram tabella Confucii vel mortuorum Parentum, in æde sacra quæ *Miao*, id est templum nominatur, cum laudibus, encomiis & orationibus, præmisso aliquot dierum jejunio & abstinentia à thoro conjugali; prout hæc omnia publicis ritualibus præscribuntur; hæc demum sunt quæ nunquam aut divisim, aut conjunctim fiunt in accipiendis hospitibus, aut in adventu Gubernatorum & Mandarinorum, quæque statim ex loco aliisque adjunctis sacra ac religiosa esse agnoscuntur. De his jam sæpè in aliis meis scriptis, quæ Scriptor Societatis aut non legit, aut se legisse dissimulat.

Dilucidationes.

65. Miror cur illi qui in illa Confuciana functione tot res lepidas agnoscere vel animo fingere potuerunt (Sacerdotem, Diaconum, Subdiaconum, Acolytos, Magistrum cæremoniarum,) non ibi etiam repererint Cruciferum, sacram Trabeam, Dalmaticas, Casulam. N°. 37.

Responsio.

66. O Scriptoris insipidum jocum! Jam de hoc egi in Brevibus Notationibus. N°. 78.

Dilucidationes.

67. In omnibus solemnibus Sinarum oblationibus, quæ vivis quoque fiunt, omnes illæ cæremoniæ locum habent, & in Ritualibus Libris notantur: eodem modo illis intervenit Magister cæremoniarum, ab eo clamatur: flectantur genua: res quæ offeruntur, odoramenta, flores, & alia similia primùm supra caput tolluntur. Afferam hic textum Latinum Patris Prosperi Intorcettæ, qui sic habet; &c. Ibid. *Res-*

Responsio.

68 Nego & pernego eadem fieri in munerandis hospitibus, Mandarinis aut Gubernatoribus; atque in offerendo *ei* Confucio, vel mortuis Parentibus, seu in solemnibus eorum oblationibus. De his interrogari potest Reverendiss. Beritensis Episcopus electus. Auctoritatem Patris Intorcettæ, quam adducit Scriptor nihil moror; cùm scripserit post exortam hanc controversiam, & totus sit in excusanda praxi & doctrina Missionariorum Societatis.

Dilucidationes.

69 Quantum autem attinet ad quæstionem, an saltem functiones illæ ut superstitiosæ habendæ sint, primùm observandum est, posterioribus temporibus non publicâ, sed privatorum quorundam auctoritate nonnullos ritus introductos fuisse, qui nunquam generaliter per totam Chinam recepti, neque in *Li Ki*, id est in eorum Ritualem Librum vel cæremonialem relati sunt. N°. 38.

Responsio.

70. Quid refert utrum ritus superstitiosi in solemnibus Confucii & mortuorum oblationibus à prima origine locum habuerint, an verò successu temporis, à pluribus jam sæculis, in eas irrepserint. Hoc secundo casu haud secus rejiciendæ sunt, quam si jam ab initio ejusmodi ritibus infectæ fuissent. Sufficit ritus illos jam diu publico usu receptos esse, nec à quoquam omitti posse. Quid si gratis dicantur esse novi, & in *Liki* seu Ritualibus libris non reperiri? At id gratis dici de plerisque postea patebit.

Dilucidationes.

71. Obſervandum ſecundò minimè damnandam ut ſuperſtitioſam actionem quæ primo aſpectu talis apparet, & cujus vix ratio & cauſa aſſignari poteſt. No. 40.

Reſponſio.

72. Aſſentior propoſitioni ſic generaliter ſumptæ; præſertim ſi agatur de actione hominum, quorum aliunde nota eſt nobis fides, doctrina, ſapientia: ſecus, ſi de Paganis & Gentilibus, quos novimus graviſſimis erroribus laborare, quales ſunt Sinæ Literati qui à multis ſaltem ſeculis in Atheiſmi barathrum delapſi ſunt, non aliud rerum omnium principium, quàm cœlum materiale agnoſcentes, quique cœlo materiali, terræ, ſpiritibus montium, fluminum, & idolo *Chin hoan*, id eſt cujuſque urbis genio tutelari cultus idololatricos adhibent.

Dilucidationes.

73. Verbi gratiâ, campanarum conſecratio, quæ ab Epiſcopo intus & foris lavantur, & octo vicibus unguntur oleo Catechumenorum. . . . Quid cenſeret Sina aliquis, de functione quæ ſingulis annis tantâ cum ſolemnitate Venetiis peragitur; cum Dux annulum pretioſum à Patriarcha benedictum in mare projiciens, connubium cum mari init? Quid judicaret idem Sina de tot tantiſque ludicris quæ ſingulis annis, diebus genialibus appetentis Quadrageſimæ in hac noſtra Italia celebrantur? . . . Quid de more ſatis communi Regni Europæi piiſſimi & religioſiſſimi, ubi iam ab antiquis temporibus, uſque ad hanc diem homines turmatim, cum larvis ſolent intrare Eccleſias, ibique ſaltare ad fidium & tibiæ ſonos; idque etiam in primariis civitatibus & in ocu-

oculis Episcoporum & Nuntii Apostolici, Nº. 41. 42.

Responsio.

74. Quis non miretur ingenium, inventionem, facundiam Scriptoris Societatis, qui tam apta tamque exquisita è Christianis & Catholicis Regnis exempla profert, ad purgandos ab omni superstitionis labe cultus, quos Sinæ Gentiles Confucio & mortuis Parentibus exhibent? Tempus & operam malè collocarem, si quàm aliena & incepta sint exempla hîc adducta sigillatim vellem ostendere. Solùm velim observari quàm indecens & gravem apud omnes offensionem habeat, adducere in exemplum bacchanalia, quæ in multis locis, & maximè in Italia fiunt, appetente tempore quadragenarii jejunii, vel ludicras larvatorum hominum in ipsis Ecclesiis saltationes, quæ in certo quodam Regno usu receptæ sunt: quasi verò hæc ultrò permitterentur ab Ecclesiæ Præpositis, & non potius ob duritiem hominum, ut vetera quædam & insanabilia mala, cum gemitu & dolore tolerarentur.

Dilucidationes.

75. Jam verò, ut ad institutum de factis particularibus Confucianarum oblationum sermonem redeamus, aio usum illum infundendi vinum calidum in aures porci, ut qui fortiùs se moverit, seligatur, allatum esse in Chinam ab Eunucho Regio qui ad exterum Regnum Legatus observavit rusticos hocce pacto quodnam animalium robustissimum, ac valentissimum esset explorare . . . . selectum animal toto corpore procumbentes salutant ante vel postquam occisum est . . . . magis extraordinaria videtur oblatio pili, sanguinis & intestinorum animalis, cervi, scilicet, capræ, vel porci, . . . Quod

verò ſpectat ad pannos, qui poſtquam oblati ſunt, igne abſumuntur &c. No. 43. 44.

Reſponſio.

76. Fruſtrà Scriptor Societatis recurrit ad originem rituum illorum & ad quaſdam ſubtiles & reconditas rationes, ut à ſuperſtitionis labe purgentur. Quod affert de Eunucho Regio, qui à Legatione redux uſum infundendi vini calidi in aures porci apud Sinas invexit, gratis ab eo dicitur; nullumque ejus rei auctorem affert. Sed etſi uſus ille initio ſuperſtitione vacaſſet, ſucceſſu temporis corrumpi potuit. De eo autem aliiſque ritibus hîc allatis judicandum eſt, prout communiter etiam à Literatorum plebe hodiè uſurpantur. Deinde obſervandum ſimiles ritus adhiberi in oblationibus cæli, terræ, ſpirituum montium, fluminum, & præſertim idoli *Chin hoan*, ſeu tutelaris genii cujuſque urbis, quibus in oblationibus ritus illos eſſe ſuperſtitioſos nemo negaverit.

77. Verùm duo alia hoc loco notari velim: primò Scriptorem Societatis apertè, ut ita dicam, concordare de facto, nihilque eorum, quæ in deſcribendis ſolemnibus Confucii oblationibus retuli, inficiari: ſecundò complures eum ritus omiſiſſe, quod nempe eos à ſuperſtitione purgare ſe poſſe deſperaret, qualia ſunt præmiſſa oblationibus jejunia, abſtinentia à thoro conjugali, ſortitio diei ad celebrandas oblationes, quæ maximè adhibetur in oblationibus Progenitorum.

Dilucidationes.

78. Nullus Literatus iis intervenire tenetur (ſolemnibus Confucii oblationibus), niſi ſit Mandarinus, id eſt Gubernator. Sed circa hos quid agetur?

getur? sic interrogat Dominus Charmot articulo 4. suæ ultimæ scripturæ. Respondent Jesuitæ id facilè fieri posse, quia Mandarinus tanquam Superior & Dominus ex hac functione tollet singulos illos actus qui aliquam superstitionis speciem habere possunt, & privatâ auctoritate à multis, non autem ab omnibus, neque ubique introducti fuerunt, quorum nulla fit mentio in Sinensibus Libris Ritualibus ceremonialibus. N°. 45.

Responsio.

79. Falsum est solos Mandarinos, ratione officii, constringi ad interveniendum & ministrandum oblationibus Confucianis, ut jam sæpè monui. Sed videamus quomodo se Patres Societatis expediant à difficultate quæ est circa Mandarinos. Plures enim Mandarinos inter suos Neophytos se habuisse, atque etiamnum habere gloriantur. Id, inquiunt, facillimum: nam Mandarinus, ut Superior ac Dominus, quoslibet ritus minùs commodos, & vel aliquam superstitionis umbram habentes removebit. Quis non miretur hæc tam intrepidè coram Apostolica sede proferri? Certè non est hoc nodum solvere, sed scindere. Nûlla forte alia Natio æque suarum consuetudinum tenax est, ac Sinensis. Quis igitur non miretur in publicis ritibus toto Imperio receptis, quemlibet Mandarinum Superiorem ac Dominum appellari, ut pro libitu, quos rituum illorum voluerit, removeat? Id vix tentaret, si Literati loci omnes ad unum essent Christiani. Quid si ipse solus aut forte unus & alter Christiani sint, cæteri verò Gentiles? Num hoc casu Literati Gentiles Confucii & cultus ejus observantissimi, silebunt? Quin potius graviter se peccare existimarent, nisi

 hæc

hæc ad superiores Mandarinos & ad Supremum Rituum Tribunal dictum *Lipù* deferrent.

80. Quid si ritus illi superstitiosi non solo usu inducti, sed Regiis Edictis sanciti sint & in Libris Ritualibus præscripti? At plerique ritus Confuciani hujusmodi sunt: sic, v.g. Regia Edicta jubent, ut primâ die & decimâ quintâ Lunæ Mandarinus seu Gubernator vel Præses cujusque loci ad ædam sacram Confucii se conferat, ut ei odores offerat. Verba Edictorum refert Reverendissimus Varo in Tractatu suo jam sæpè à me citato. Sic ceremonia offerendi pilos & sanguinem animalium habetur in Libro *Lyki*, hoc est Rituali, ubi etiam ejus cæremoniæ ratio redditur, apud eundem Reverendissimum Varo. Sic jejunia & abstinentia à thoro conjugali ante solemnes Confucii oblationes Regio Edicto Imperatoris *Hung vù* præcipiuntur, ut refert idem Varo, Art. 3. cujus hic est titulus: *De jejuniis quæ juxta Regium Edictum ante duas solemnes Confucii oblationes præmittuntur.*

Dilucidationes.

81. At, pergit Dominus Charmot, non potuerunt (Mandarini) non se sistere ante tabellam inscriptam nomine Confucii cum adjuncta voce sanctissimi & superexcellentissimi spiritus, in qua tabella Sinæ credunt reipsa animam Confucii residere . . . . Quantum ad vocem *sancti*, vel si voles, *sanctissimi*, quæ tribuitur Confucio, jamdiu respondit Sacra Congregatio anno 1645. Si vox illa, inquit, in Regno Chinarum habet latitudinem, posse Ministros ea uti: si verò restringatur ad significandam veram & perfectam sanctitatem, nullatenus posse. Porro quod vox *Xing* sit generica

nerica & non reſtricta ad ſignificandam ſanctitatem ſupernaturalem manifeſtum eſt. Ante promulgationem fidei ſolam ſanctitatem naturalem, hoc eſt bonitatem moralem, & morum integritatem noverunt Sinenſes, idque tunc ſignificabat vox *Xing* mortuis & Confucio attributa. Quidni igitur hanc eandem ſanctitatem naturalem nunc, quemadmodum antea, ſignificare poterit? N°.46. 47.

Reſponſio.

82. Hîc ſolum notari velim Scriptorem Societatis phraſim Sacræ Congregationis non ſervare, ſed has voces, *veram & perfectam ſanctitatem* hiſce mutare: *ſanctitatem ſupernaturalem*, ut hac duplicis ſanctitatis, naturalis videlicet & ſupernaturalis, diſtinctione, quæ celebris eſt in ſcholis Molinæ, viam ſibi paret ad conſervandum Confucio nomen ſanctiſſimi, etiam apud Sinas converſos, quem Pater Intorcetta, aliique Jeſuitæ omni genere virtutum moralium floruiſſe ſæpè commemorant, ac tantum non ut beatum, in aliquo beatitudinis naturalis paradiſo, collocant. Sanè hac diſtinctione ſanctitatis naturalis & ſupernaturalis, poſſent adhuc hodierni Romani Furios; Camillos, Fabios, Scipiones alioſque veteris Romæ Heroas ſanctiſſimos appellare. Addo ipſoſmet Jeſuitas non aliam vocem quàm *Xing*, adhibere ad ſignificandam ſanctiſſimam Virginem Mariam, ſanctos Angelos, ſacro-ſanctum Miſſæ ſacrificium.

Dilucidationes.

83. Quod ſpectat ad Confucii aliorumque mortuorum ſpiritus, quos credunt in ejuſmodi tabellis habitare & reſidere, ſi agatur de præſentia reali & phyſica, & non dumtaxat de morali vel re-

præsentativa seu imaginaria, semper negatum est & adhuc negatur, communiter à Literatis, qui soli cultibus Confucii interveniunt, admitti similes errores, apud vulgus idololatrarum, quos Literati abominantur, & quibuscum apertas inimicitias exercent disseminatos. N°. 48.

Responsio.

84. Falsissimum est juxta principia Philosophiæ Sinicæ, & communem Literatorum sensum, tabellas Confucii & Progenitorum esse solùm quid morale, quod vim habeat repræsentandi, & mortuorum speciem seu imaginem quandam in animo excitandi. Literati nullam veri spiritûs notionem habent, & omnia unum esse, atque ex primigenia quadam materia constare existimant. Attamen distingunt partes quasdam subtiliores illius materiæ, & quandam veluti quintam essentiam, quam *Li* seu *Tai Kie* vocant, quæ in præcipuis mundi partibus vigeat, in cœlo videlicet ad lucendum & sublunaria fovendum, in terra ad germinandum, in hominibus ad sentiendum & ratiocinandum. Itaque morte hominis putant corpus in terram redire, spiritum verò, hoc est subtiliorem partem sursum ascendere, & sparsis per aërem similis materiæ partibus immisceri; unde advocatus saltem ex aliqua sui parte tempore oblationum ad tabellas redeat, ibique resideat rebus oblatis fruiturus. De hoc fusè egi in Notis, sect. 1. art. 10. n. 149. & sequentibus, ubi à me citantur in hanc rem Reverendissimus Varo in Tractatu sæpè dicto, & Illustrissimus Lopez in Tractatu quem ipsimet Jesuitæ producunt. Consuli etiam potest Illustrissimus Navarreta tom. 2. tract. 7. pag. 396, 397. Porro ridiculum est hanc de Tabellis mortuo-

tuorum opinionem & doctrinam, quæ propria est Literariæ sectæ, tribuere sectæ idololatrarum seu Bonziorum; cùm ambæ hæ sectæ vix quicquam inter se commune habeant, ut fatetur ipsemet Scriptor Societatis.

Dilucidationes.

85. Literati si non sunt Christiani, aut sunt ex secta Atheorum, & nullum Deum, nullum spiritum, neque ibi (in tabellis,) neque alibi agnoscunt, multo minus petunt aut sperant aliquid à Confucio & mortuis: aut sunt ex antiqua Schola & professione Literaria; & hi dicunt quod in morte bonorum animæ pergunt ad cœlum, & ibi propè *Xamti* supremum Dominum, id est Deum remanent. Ibid.

Responsio.

86. Hæc distinctio Literatorum Gentilium in duas classes, alteram Atheorum, alteram eorum qui veterem Scholam & professionem Literariam sequuntur, est ficta & imaginaria. Sive enim primi Auctores sectæ Literariæ eorumque longo tempore Successores verum Deum agnoverint, ut Pater Riccius primus è Societate Jesu in China Missionarius putavit; sive jam tum per *Tien* Cælum, & *Xangti* supremum Imperatorem, nihil aliud intellexerint præter cœlum materiale, vimque ejus efficientem, ut Pater Nicolaus Longobardus ex eadem Societate, Riccii successor, aliique quamplurimi existimant, certè nemo est rerum Sinicarum non planè ignarus, quin agnoscat totam Literatorum sectam à sexcentis vel etiam longè amplius annis, in Atheismi baratrum decidisse, utpote quæ nullos veros spiritus, sed solum materiale cœlum tanquam rerum

omnium principium agnoſcat. De his egi in Notis, ſect. 2. art. 2. 3. & 4. Conſulendus etiam de his Reverendiſſimus Beritenſis Epiſcopus electus, qui hanc Literatorum in duas claſſes diſtinctionem exſufflat, omneſque Literatos à mille annis, & ipſum etiam hodiernum Imperatorem, ut ex Libris ab ipſo compoſitis patet, hocce Atheiſmo laborare confirmat.

Dilucidationes.

87. Dicunt itaque, afferatur Spiritus, è muro avellatur, ſe demittat Spiritus ad tabellam, ſe denuo tollat in altum & ad locum ſuum redeat; quemadmodum nos dicimus: afferte Crucifixum, atollite, demittite, reponite Crucifixum, hoc eſt effigiem Crucifixi. Hiſce nihil amplius reperias apud Literatos, & quidquid ultra additur loquendo de Literatis, Jeſuitæ in ſuis ſcriptutis meram imaginationem appellant. Ibid.

Reſponſio

88. Tabellas mortuorum inſcriptas: *Sedes animæ talis & talis defuncti*, Literatis Sinenſibus eſſe meras imagines, quæ defunctos in memoriam poſterorum revocent, nihilque, eorum opinione, plus habeant, quam apud Chriſtianos imagines Chriſti & Sanctorum, propoſitio eſt falſiſſima, ut patet ex Libris Ritualibus & variis Philoſophorum Sinenſium ſcriptis, quorum verba & auctoritates magno numero affert Reverendiſſimus Varo in prædicto ſuo Tractatu art. 8. cujus eſt hæc inſcriptio: *Probatur eſſe ſententiam Sinarum, quòd animæ Progenitorum adveniant ad recipiendas oblationes, & ad fruendum rebus ſibi oblatis.* De eadem re videndus Illuſtriſſimus Navarretta Tom. 2. Tract. 7. §. 4. pag. 396. Itaque

que quod hîc ait Scriptor Societatis, comparans tabellas Confucii & mortuorum imagini Crucifixi locum habere potest in Sinensibus ad fidem conversis, quos Jesuitæ, quid de hisce tabellis sentire debeant, docuerunt; at hoc tribuere Literatis Gentilibus, novum prorsus ac res Sinicas callentibus inauditum.

Dilucidationes.

89. Quisquis illas (orationes) leget, facilè agnoscet in verbis illis nunquam exprimi precem directam Confucio. Orationes quæ coram Confucio recitantur sunt tantum panegericæ, non supplices petitiones, & nemo eas appellaverit collectas, nisi animo propriis opinionibus ante occupato. N°. 49.

Responsio.

90. Vanæ sunt & superstitiosæ preces quæ in oblationibus Confucii adhibentur, tametsi ad eum non dirigantur. Id agnovit Martinius, qui ut cultum Progenitorum licitum esse ostenderet in quæsitis suis ait: *Sinæ nullam divinitatem animabus Defunctorum concedunt; nihil ab illis sperant aut petunt.* His enim verbis saltem obliquè fatetur, preces in oblationibus mortuorum futuras esse superstitiosas & illicitas, tametsi ad animas defunctorum tanquam ad quædam numina non dirigerentur, dummodo ab eis aliquid speraretur aut peteretur. Certè quando sanctorum cum Christo regnantium opem imploramus, non semper preces nostras ad eos dirigimus, sed sæpè sæpiùs à Deo, eorum meritis & intercessione, beneficia aliqua poscimus, nullam in eis, quod absit, divinitatem agnoscentes. Itaque etsi concederemus Sinas Literatos nullam divininatem in Con-

Confucio vel mortuis parentibus agnoscere, neque ab eis beneficia petere aut sperare, nihilominus vanus esset & superstitiosus cultus, cujus vi ac merito aliqua se beneficia consequi posse crederent, à quocumque tandem illa petant aut sperent.

91. Atqui certo certius est, Sinas Literatos in exhibendis ejusmodi cultibus tum Confucio, tum defunctis parentibus, petere ac sperare sanitatem, dignitates, segetum abundantiam, aliaque bona hujus vitæ; & è contra morbos, calamitates aliaque hujus vitæ mala deprecari. Id fusè ac invictè probat Reverendiss. Varo in Tractatu jam citato, tum ex Rituali *Liki*, aliisque Ritualibus, tum ex Libris Classicis Sinarum variisque aliis testimoniis, auctoritatibus, experientiis & exemplis. En titulum seu synopsim articulorum in quibus hoc argumentum tractat: Articulus primus Capitis 5. in quo auctoritate Librorum Classicorum *Liki* probatur Sinas à Progenitoribus defunctis bona petere ac sperare. Art. 2. in quo idem probatur auctoritate Librorum Classicorum *Xyking*. Art. 3. in quo idem confirmatur auctoritate aliorum Librorum Sinicorum. Art. 4. in quo idem probatur ex praxi nec non auctoritate nonnullorum Patrum è Societate.

92. Cùm autem ex his manifesta sit subreptio Martinii, libet hîc referre quod habet idem Reverendiss. Varo proximè ante articulos modò citatos, cap. 5. pag. 200. cujus hæc est inscriptio: *Probatur quod Sinæ aliquid divinitatis dant animabus Progenitorum defunctorum.* En ejus verba ex Hispano idiomate Latinè reddita: „ Operæ „ pretium existimavi referre hoc loco quod acci-

„ dit

„ dit Patri Commissario Fratri Antonio à Sancta
„ Maria, in Metropoli Hangcheu cum Patre
„ Martino Martinio, postquam hîc Româ redux
„ attulerat Decretum Alexandri VII. summi
„ Pontificis de permittendis circa subjectam ma-
„ teriam. Ipsemet legi casum in una declara-
„ tione quam dictus Pater Commissarius misit ad
„ S. Congregationem de propaganda fide anno
„ 1661. jurans in verbo Sacerdotis vera esse quæ
„ in illa narrat. En ipsissima ejus verba: Sacri-
„ ficia in templis Proavorum ideo fiunt ut ab
„ eis consequantur propitia, adversa verò viten-
„ tur; constat ex infra dicendis: anno 1659. for-
„ te perveni eò ubi Pater Martinius Societatis
„ Jesu erat Minister: quâdam die post prandium
„ ab illo quæsivi quid esset divinitatem aliquam
„ attribui animabus Defunctorum, respondit ab
„ illis expectare aut petere ea quæ solus Deus
„ annuere potest: dixi in hoc Regno infideles
„ Sinici sperant aut petunt ab illis, igitur &c.
„ Minore negatâ, dixi, Vestra Reverentia
„ habet domi Librum intitulatum *Fa Ke*
„ *Uven*? respondit se habere; Libro allato ut
„ infra scripta perlegeret, [Liber iste est Dialo-
„ gus inter Christianos & Ethnicos; Auctor illius
„ quidam Sina Christianus & Licentiatus à Pa-
„ tribus Societatis instructus ac baptizatus nomi-
„ natus *Chu vêy Chîng*] hæc legit Sinicè scrip-
„ ta: Ethnici quæsierunt templa nostrorum Avo-
„ rum, etiamsi illi nullatenus habeant nec
„ prosperitatum nec adversitatum dominium, &
„ nunc visis imaginibus nostrorum parentum seu
„ amicorum ibi derelictis, quamvis illi dum
„ vixerunt virtutes imitabiles non habuerint,
„ ratione

„ratione quarum debeamus illos venerari, si in
„eorum templis semel genuflectamus, ac semel
„caput inclinemus, unde hoc sit contra rationem?
„Auctor verò respondit, sicut illicitum est infe-
„riorem sicut Regem honorari, sic nunc in Avo-
„rum templis effigies eorum ibidem collocatæ
„omnes ob adversa vitanda consequendaque pro-
„pitia sacrificiis odorantur; pessimus utique er-
„ror Proavorum effigies sicut Dominum supre-
„mum venerari, sicut valdè injustum esset Vas-
„sallum aliquem Regi suo coæquari; idcircò
„Proavorum seu amicorum præfatorum statuas
„seu effigies honorare, certissimè est idem cum
„pessimis ac perversis conversari, ad invicem-
„que inter se urbanisari; nullatenus itaque Pro-
„avorum delubra venerentur; directè enim est
„non debitum sibi cultum & honorem temerè
„usurpare. Neutiquam licet ibi genuflectere,
„nec caput inclinare. Hæc ille. Quibus à Patre
„Martinio supradicto prælectis, tantisper obmu-
„tescens illicò dixit, hanc corruptelam animabus
„exorandi defunctorum introductam fuisse ab-
„hinc retro trecentis annis; at præfatus cultus
„Proavorum ab antiquâ prima sua institutione so-
„lummodo civilis politicusque est, mortuis in-
„serviendo, ac si adhuc viverent, hæc ille. Præ-
„citatusque Liber continens prævisa in ipsamet
„domo & Ecclesia Societatis Jesu Civitatis *Hâng-*
„*cheu* prælo datur, ubi tunc quando hæc Pater
„Martinius perlegit, ipse erat loci illius Supe-
„rior ac Minister. Constat ex præfatis, ex com-
„muni consuetudine Sinarum animabus defunc-
„torum potentiam ac divinitatem non minimam
„in prædictis sacrificiis attribui. Huc usque Verba
„Patris

„Patris Commissarii Fratris Antonii à Sancta
„Maria tunc Præfecti Apostolici Religiosorum
„sui Ordinis in hoc Sinarum Regno.

93. Observat autem ibidem Reverendissimus Varo hunc Librum Sinæ Licentiati, Patrem Societatis Neophyti, quæ Cosmæ nomen in baptismo accepit, iterum in eadem Metropoli typis editum fuisse cum approbatione d.orum Patrum Jesuitarum, nullâ factâ circa hunc locum mutatione.

Dilucidationes.

94. Totum hoc dixi de secta seu classe Literatorum, ad quos solos spectant ritus Confucii. Cæterùm non me fugit idololatras sæpè sæpiùs hisce & aliis erroribus circa defunctos suos laborare. Immo frequenter eorum nomina in templis suorum idolorum appendunt, ut eos cum aliis Diis invocent: sed hoc non vitiat ritus quos Literati adhibent erga Confucium & Progenitores mortuos. N°. 50.

Responsio.

95. Frustrà ad hanc distinctionem Literatorum & idololatrarum confugiunt Patres Societatis. Hîc unicè agitur de Literatorum secta, quæ est præcipua in toto Regno, & cujus princeps est ipsemet Imperator. Ex hujus sectæ principiis, Libris Ritualibus, Classicis, & quotidiana praxi probantur quæ in descriptione cultuum Confucii & mortuorum retulimus. De secta idololatrarum omnino siluimus, de cujus superstitione & idololatria nemo dubitat. Falsum tamen est, ut observat Reverendissimus Varo, art. 5. pag. 223. eos ex principiis sectæ suæ posse mortuorum parentum nomina appendere in templis, ut illos cum

cum aliis Diis invocent. Cùm enim animarum immortalitatem, pœnasque alterius vitæ credant, pro Parentibus mortuis Deos suos seu idola invocare solent, non verò ipsos parentes post mortem, tanquam Deos venerantur. Porrò ridiculum est & absurdum supponere quod idololatræ de cultibus & cæremoniis Literatorum à nobis interrogati fuerint, cùm utraque illa secta valdè diversa sit, nihilque penè inter se habeat commune, ut jam supra dictum est.

Dilucidationes.

96. Ergo, colliget Dominus Charmot, Jesuitæ Neophytis suis etiam prohibebunt intervenire alicui ex oblationibus & cæremoniis quæ mortuis fiunt, cùm similes sint Confucianis. Respondemus multum inter hæc interesse. Nam Confucianis oblationibus, nemo præter Officiales, intervenire constringitur, & reliqui impunè ab iis abesse possunt. Non ita de functionibus quæ à tota familia fiunt erga defunctos parentes. No. 51. 52.

Responsio.

97. Velim observari totam illam utrarumque oblationum differentiam non ab ipsismet oblationibus, quæ per omnia similes ac pares esse agnoscuntur, peti, sed à commodo vel incommodo ministrantium vel assistentium; quasi verò in iis quæ ad cultum Dei & salutem animarum pertinent, cum perniciosa aut valdè periculosa sunt, attendi debeat multitudo vel paucitas eorum, quorum interest, & non potius videndum atque examinandum an res in se ipsa sit licita vel illicita. Sanè si quid hîc distinguendum, quanto peccatum aut peccandi periculum ad plures pertinet, eo

eo major esse debet Præpositorum Ecclesiæ in ejusmodi rebus permittendis cautio Hoc etiam, si Jesuitis credamus, intersunt oblationes Confucii & oblationes mortuorum, quod in illis Minister sit Mandarinus seu Gubernator loci, qui tanquam auctoritatem habens, potest ea removere quæ superstitiosa esse judicaverit: At in oblationibus mortuorum eam auctoritatem non audent tribuere primogenito seu principi familiæ, qui sacerdotis seu primi Ministri officio fungitur. Itaque, ut sibi constent, difficiliùs oblationes mortuorum, quàm Confucii permittere deberent.

Dilucidationes.

98. His omnibus positis, ubi est certa illa & manifesta in exponendo facto falsitas toties Patri Martinio non sine despectu & insultatione objecta? No. 55.

Responsio.

99. Quanta Martinius per obreptionem & subreptionem in exponendis cultibus Confucii & Progenitorum peccaverit, fusè ostendi in Notis, sect. 1.ª art. 3. quæ omnia Scriptor Societatis silentio prætermittit, tametsi in hoc maximè hujus controversiæ cardo vertatur.

Dilucidationes.

100 Cujus (Martinii) corpus, quantumvis grande & pingue, Deus voluit post tot annos integrum & incorruptum permanere, cum stupore Christianorum atque etiam infidelium, qui etsi solito apud Sinas more alia cadavera sepeliant, ea non vident conservari integra ac recentia talem in modum. Ibid.

Responsio.

101. Scilicet ad miraculi magnitudinem multum refert nos scire Martinium fuisse grandioris staturæ, & corporis obesi. In Notis meis, sect. 1 art. 11. n. 154. ubi de hoc egi, Scriptores Societatis monueram contra reverentiam Eminentissimis Patribus debitam esse, rem testimonio nonnullorum dumtaxat Jesuitarum nixam, & quæ, si legitimè probata esset, adhuc eis inutilis esset, tantopere urgere. Sed certum est illis eadem semper, meis licet responsionibus obtrita, repetere: videtur quidem hoc loco fateri Scriptor, corpora more Sinico sepulta, sæpè ad multos annos integra permanere; at singulari modo corpus Martinii velut adhuc recens, divinitus servari contendit, cujus prodigii fides sit penes ipsum ejusque socios.

Dilucidationes.

102. Jesuitæ de hoc idem semper senserunt, videlicet quòd actiones à multis, & variis in locis additæ functionibus quas Literati in honorem Confucii & mortuorum adhibent, defendi speculativè possunt tanquam non superstitiosæ: & quamvis certum foret eas esse superstitiosas, non redderent functiones illas ex natura sua & essentialiter superstitiosas vel idololatricas; attamen in praxi prohibendum esse fidelibus, ne quidem eis interesse, quia ex una parte nulla necessitate ad interveniendum eis constringantur &c. N°. 59.

Responsio.

103. Hoc loco prioribus verbis Scriptor cultus mortuorum cultibus Confucii conjungit, posterioribus autem de solis cultibus Confucii sermonem habet, de quibus paucis post lineis ait,

quod

quod cùm solus loci Mandarinus eis intervenire teneatur, facilè quidquid superstitionem sapit, pro suprema, qua pollet, auctoritate, resecare poterit. Quàm hæc omnia parum firma sint, parumque cohæreant, jam sæpè observatum est.

Dilucidationes.

104. Quod verò ipsimet Jesuitæ, qui in China Missioni operam dederunt, contrarium senserint vel scripserint, propositio est vana nulloque nixa fundamento, & ut talis confutata in Observationibus anno proximè præterito Sacræ Congregationi oblatis. No. 60.

Responsio.

105. Hunc communem ac perpetuum Missionariorum Societatis sensum circa cultus Sinenses, falsum esse ac suppositum multa arguunt, ut non uno loco jam ostendi. Conventus in civitate *Kiating* anno 1628. cùm adhuc soli essent Jesuitæ in China, celebratus, cultus Confucii tanquam superstitiosos & idololatricos damnavit, quos hodiedum Patres Societatis ut innoxios defendunt. Illustrissimus Navarretta sæpè commemorat multa cum laude Patrem Joannem Balat, & Patrem Figueredo è Societate qui cultus Confucii & mortuorum suis Neophytis nunquam permiserint. De eodem Patre Figueredo juxta Illustrissimum Navarrettam refert Reverendissimus Varo in suo Tractatu cap. 5. art. 4. quod Librum de decem divinis præceptis typis edidit, in quo disertè ait 2. part. fol. 3. *esse contra primum præceptum Decalogi, si quis defunctorum templa, eos veneraturus, adierit.* Fol. 11. pag. 1. apertè dixit, esse idololatriam, *si quis ei, id est oblationem solemnem parentibus faciat.* Alias adhuc auctoritates, alia-

que exempla in eam rem affert idem Varo loco citato.

Dilucidationes.

106. Patris Semedi producuntur (à Domino Charmot) textus truncati, & quædam ejus locutiones impropriæ, ut propriæ sumuntur. Ibid.

Responsio.

107. Meminerit Scriptor me Patrem Semedum citasse solùm ad probandam facti veritatem; & rectè à me allata ejus verba comperiet. Consulat quæ de hoc habentur in Brevibus Notationibus No. 176.

Dilucidationes.

108. Objiciet tandem Dominus Charmot, melius omnino fore ut omnia illa, qualiacumque sint è medio tollantur, idque assequi facillimum esse. Primum concedunt Jesuitæ, illudque toto animo desiderant, atque ut magis magisque augeatur Christianorum numerus, ita in hoc magis magisque proficiunt: Secundum non admittitur, præsertim quod spectat ad Ecclesias seu stationes Christianorum Regiæ Civitatis, aut eidem Regiæ Civitati vicinas; atque etiam illas in quibus sunt Literati vel Mandarini. . . . . . Hi quippe Confucio addicti, non verò alii Sinenses Christiani. No. 64.

Responsio.

109. Hæc objectio, quam meo nomine proponit Scriptor Societatis non minus ad cultus mortuorum quam Confucii spectare videtur. In responsione tamen de solis cultibus Confucii agit Scriptor, quasi parum curans de cultibus Progenitorum, quos jamdiu Societas tolerandos decrevit, quantumvis superstitione & idololatriæ

Conria

Confucianis pares sint, aut forte etiam pejores. Hîc videas genium plerorumque Casuistarum, qui res præcepti ad simplex consilium redigunt, & quæ æterna lex omnibus præcipit, ad majorem dumtaxat perfectionem spectare volunt. Quando cultus mortuorum nihil differunt à cultibus Confucii, quid causæ est, cur hos Scriptor, quantum fieri poterit, tollendos, illos verò omninò tolerandos putat? Nimirum, inquiet, quia ab utrisque illis cultibus abstinere res est consilii non præcepti, ideòque pro variis personarum & locorum circumstantiis, aut prohiberi possunt, aut permitti.

110. Iam verò an difficillimum sit, imò, ut volunt Patres Societatis, impossibile ea omnia è medio tollere, exemplo suo docent Patres Dominicani & Missionarii è Clero, qui nullum è Catechumenis ad baptismum admittunt, nisi cultibus Confucii & Progenitorum renunciaverit; si quis verò è Neophytis promissis non steterit, & hoc se delicto iterum polluerit, eum à communione semovent, donec facti pœnitens publicè satisfecerit: id quod ipse testificari possum de quodam Literato Patrum Dominicanorum Fogannensi Neophyto, qui cùm ad colendum Confucium, repugnante licèt conscientiâ, ut canis ad vomitum, rediisset, non ante communioni Ecclesiasticæ restitutus est, quàm die Dominica in publico fidelium cœtu veniam, magna cum humilitate, petierit; quam reconciliationem apud Patrem Thoman Croquer Dominicanum Missionarium, dum illac iter facerem, procuravi.

111. Facillimum esse cultus Confucii & Progenitorum abolere in scriptis meis nusquam dixi:

ausim tamen dicere huic tanto bono nihil æquè obstare, ac Patrum Societatis à cæteris Missionariis in tolerandis ejusmodi cultibus discrepantiam: imò si quotquot sunt in China Missionarii de eis tollendis consentirent, hucque omnes consilia & operam suam conferrent, haud vana spes est fore ut res facilis evaderet.

112. Sed ponamus plurimum id habere difficultatis, quis nesciat Ethnicis ad baptismum accedentibus vim sibi faciendam, multaque quibus maximè adstricti tenentur, relinquenda, qualia sunt polygamia, usura, aliaque id genus peccata? Quis dubitet quin in hisce valdè sudandum & laborandum sit Missionariis? At similes difficultates experti sunt Apostoli, & quotquot Apostolico spiritu præditi fidem Ethnicis annuntiarunt; neque tamen ob ejusmodi difficultates à verbi prædicatione cessarunt; immo tunc eò fortiùs, & alacriùs ad opus incumbebant, quò nihil propriis viribus & humanæ prudentiæ fidentes, totum à divina gratia & virtute Spiritus Sancti expectabant. Videant Patres Societatis, utrum Apostolicam hanc prædicandæ fidei rationem in China teneant, an forte aliam non parum diversam, unde fit, ut res multo difficiliores, quam reipsa sint animo sibi fingant.

Dilucidationes.

113. Qui in Ecclesia sua haberet dumtaxat rusticos, aut plebeios, facilè inter eos induceret usum procedendi in publicum sine pallio: secus, si præter illos haberet etiam nobiles aut civilis status viros. Ibid.

Responsio.

114. Bello hoc exemplo uti poterit Scriptor So-

Societatis, ubi constiterit cultus Confucii & Progenitorum æquè esse rem indifferentem, ac cum pallio, vel sine pallio ambulare.

Dilucidationes.

115. A quibus (Missionariis Societatis pro fide captivis) discessit Pater Frater Navarretta, fugiens è carcere, ut pergeret in Europam, ibi quidquid sciret mali de eis publicaturus N°. 65.

Responsio.

116. Hæc contumeliosè dicta in Illustrissimum Navarrettam egregiè confutantur in Apologia Patrum Dominicanorum adversus Librum Patris *Le Tellier*, & Opusculum Patris *Le Gobien*, quæ propediem publici juris fiet.

Dilucidationes.

117. Inter illas scripturas (Archivii Patrum Societatis) una satis ampla, & quæ Librum ex se constituit, traditur in manus Domini Assessoris. Ibidem.

Responsio.

118. Liber ille cujus copiam mihi fecit Illustrissimus Dominus Assessor, annuente Sacra Congregatione, nihil est aliud quam Apologia Societatis à Patre Brancato Jesuita Cantone composita, ad quam respondit Illustrissimus Navarretta toto Tractatu 7. Tomi secundi, & Reverendissimus Varo Tractatu jam sæpè citato.

Dilucidationes.

119. Dominus Charmot in ultima sua scriptura Eminentiis Vestris exhibita significavit desiderare, ut fieret congressus in quo hæ materiæ difficillimæ multorumque voluminum, vivâ voce discuterentur: *De eo conveniendum*, inquit, *quod vulgò concordatum facti appellant*, *ut deinde pro-*

greſſus fieret ad quæſtionem juris. Congreſſus iſte ad concordandum quem Dominus Charmot propoſuit, à nobis ſemper exoptatus eſt, & illum ab Eminentiis Veſtris ſuppliciter poſtulamus. No. 67.

Reſponſio.

120. En ſanè dignam totius ſcripturæ clauſulam, ut poſtquam non uno loco multa mihi Scriptor affinxit, hîc verba mea truncaret, & quod nequidem per ſomnium mihi in mentem venit, me Sacræ Congregationi propoſuiſſe comminiſceretur. Notarum mearum Art. 1. monui me jam ſuperioribus ſcriptis quid in hac cauſa facti, quid juris eſſet, clarè diſtinxiſſe; Quæſtionem facti eſſe quidnam reipſa in cultibus Confucii & mortuorum agatur, verbi gratiâ, an cerei coram Confucii & Progenitorum tabellis accendantur; odoramentorum ſuffitus fiant, vinum libetur, ſuis aut capræ caput offeratur, & alia ſimilia: ubi autem hæc ita fieri conſtiterit, jam quæſtionem juris eſſe, an talis cultus ſit Chriſtianis licitus, vel illicitus. Addidi de hac utriuſque quæſtionis diſtinctione, quæ per ſe clara eſt, Sacram Congregationem præjudicium feciſſe, dum juſſit me ex Mandato Reverendiſſimi Dom. Maigrot extrahere facta quæ ex ipſiſmet Scriptoribus Societatis probari poſſent, idque me præſtitiſſe in ſcripto cui titulus: *Veritas Facti.* Quod ubi expoſui, ſtatim cum Patribus Societatis de eorum tergiverſationibus expoſtulavi his verbis: *unde omiſſis ambagibus, aut negandum erat factum, & adductis à me probationibus ac teſtimoniis reſpondendum; aut certè de eo conveniendum, quòd vulgò concordatum facti ap-*

appellant, ut deinde progressus fieret ad quæstionem juris: Ubi clarum est me nequaquam congressum postulare, ut circa factum vivâ voce partes concordent, sed potius contendere, factum jam ita à me probatum & constitutum fuisse, ut de eo jamdudum Patres Societatis convenire debuissent; & reipsa in scripturis suis de eo conveniunt, ut sæpiùs notavi, cum nusquam descriptionem cultuum Confucii & Progenitorum à me factam oppugnent, sed solùm conentur eosdem cultus, ut quid civile ac politicum, defendere.

121. Has scriptorum meorum vindicias absolveram, cùm varias accepi epistolas à Præposito Seminarii nostri Parisiensis, quarum præcipuam ad sanctissimum Dominum nostrum Innocentium Pontificem Maximum inscriptam cum adjuncta cultuum Confucii & Progenitorum expositione, hîc addere operæ pretium existimavi. Subscripta est tum epistola, tum expositio à Præposito Seminarii, Directoribus & Missionariis quotquot nunc in eodem Seminario degunt, quorum tres longo tempore in Missionibus Orientalibus commorati sunt; Dominus videlicet Marinus *L'Abbé* annis septemdecim in Cocincina, cujus Missionis nuper designatus est Vicarius Apostolicus & electus Episcopus: Dominus Ludovicus *de Cicé* annis circiter quindecim in China, & Dominus Claudius Gabriel *de la Vigne* annis ferè quatuordecim tum in Tunkino, tum Siami, & aliis partibus Indiarum Orientalium. Præpositus verò & alii duo Directores ex literis & relationibus Missionariorum plenissimè de rebus Sinensibus instructi sunt.

122. Libet hîc annotare de Domino *de Cicé*, qui anno proximè præterito è China, ob privata quædam negotia rediit, quod, ubi perlegit descriptionem cultuum Confucii & Progenitorum, quæ habetur in Notis meis, Sect. 1. Art. 2. interrogatus à Præposito dicti Seminarii quid de factorum veritate sentiret, respondit se quidem nunquam ejusmodi cæremoniis interfuisse, ut de his testis oculatus esse posset, sed res esse adeò certas & notas in China, ut de his Sinenses interrogare, idem esset ac si quis à cive Parisiensi peteret an Sequana fluvius Lutetiam Parisiorum præterfluat.

123. Videant jam Patres Societatis, quo nixi fundamento in Libello supplici summo Pontifici oblato ausi sunt dicere, quæ in scriptis suis Reverendissimo Dom. Maigrot & mihi responderunt, nolle intelligi quasi dicta sint contra alios ejusdem instituti Missionarios, & multo minus contra illorum Præpositos, *quippe quos*, inquiunt, *reveremur & colimus, scimusque non idem sentire, ac Reverendissimum, de Missionariis nostris Sinensibus.*

EPIS-

EPISTOLA

Præpositi, Directorum aliorumque Missionariorum Seminarii Parisiensis Missionum ad exteros,

Ad

Innocentium XII. Summum Pontificem.

Beatissime Pater,

TOt tantisque obicibus audivimus retardari de die in diem causam Sinensium cæremoniarum, ut nisi Apostolica auctoritate frangantur adversarum partium impetus, metuendum omnino sit, ne gloria diremptæ tam famosa litis Vestræ Beatitudini debita eidem rapiatur. Jam certè non est operosum dijudicare quâ ex parte jus se teneat. Cum enim res tota esse videatur in stabilienda veritate factorum, eaque facta non solùm apud Sinas rituali publico indubitata sint, sed etiam à Reverendissimo & Illustrissimo Domino Aleonessa à Sinarum plagis nuperrimè reduce in judicio legitimè asseverata, imo etiam apud Adversarios nostros, ut scribitur, tandem aliquando in confesso posita; quid moræ superesse possit in ferenda sententia, non videmus. Ad pedes itaque supremi æquissimique Judicis humillimè provoluti quotquot Parisiis in Seminario Missionum ad exteros degimus cum Vicariis Apostolicis Sinarum conjuncti, & ipsorum & nostro nomine summâ cum reverentiâ supplicamus, ut in compendiosam factorum seriem hoc fasciculo comprehensam, Sanc-

Sanctitas Vestra momentis aliquot, oculos convertat. Prima fronte judicabit num sancta Christi religio pro sua puritate, cum tanto seu superstitionis, seu idololatriæ saltem periculo, ne dicam piaculo, cohærere ullatenus queat. Hæc zizania in agro Domini nimium tolerata & dissimulata radicitus evellat Pater familias: hæc scandala de medio platearum novæ Jerusalem in partibus Orientis penitus amoveat Petri successor: hæc animarum offendicula apud Sinas æternum proscribat Vicarius Salvatoris. Unum id confidenter deprecamur, & Apostolicam Benedictionem reverenter expectamus.

Beatissime Pater,

Beatitudinis Vestræ.

Humillimi, obsequentissimi & devotissimi servi & filii

De Cicé	*Tyberge* Superior.
L'Abbé	*De Brisacier.*
De la Vigne.	*Prioux.*

Parisiis 10. *Augusti* 1699.

EX-

EXPOSITIO.

Cæremoniarum Sinensium Superiori ad Summum Pontificem Epistolæ adjuncta.

Confucius Philosophus in singulis civitatibus ædem sacram habet, quæ juxta Gymnasium constructa est. In ea collocata est ejus tabella cum hac inscriptione aureis literis exarata: Thronus seu sedes animæ sanctissimi & superexcellentissimi protomagistri Confucii. *Ad has ædes bis in anno, æquinoctio scilicet veris & autumni, omnes Literati conveniunt, ut Confucium solemni oblatione venerentur. Urbis Gubernator Sacerdotis officio fungitur, adjunctis aliis Literatis, qui veluti Diaconi, Subdiaconi, Magistri cæremoniarum atque Acolytorum partes obeunt. Hi præmisso, aliquot dierum jejunio, & abstinentia à thoro conjugali, pridie æquinoctii orizam, aliaque legumina & fructus terræ Confucio offerenda in Aula præparant. In area vero templi Confuciani Mandarinus qui Sacerdotem agit, cereis accensis supra mensam seu altare thus aliosque odores cremat; deinde porcum, capram, aliave animalia postridie immolanda probat, injecto in aures vino calido. Idem porcum hoc ritu electum, antequam mactetur prono corpore salutat, ac deinde à Laniis coram eo mactatum simili modo iterum veneratur. Postea pili raduntur, qui cum intestinis ac sanguine in sequentem diem servantur. Postridie ante Galli cantum Mandarinus cæterique Literati magno cum apparatu adsunt in*

æde

æde Confucii. Cereis accensis supra altare seu mensam thus aliasque odores adoleat: signum dante cæremoniarum Magistro, Musici cantant; deinde Mandarinus tanquam Sacerdos, Magistro cæremoniarum clamante, offerantur pili & sanguis Victimarum, eosdem pilos in catino positos unà cum sanguine in altum tollit, & coram Confucii tabella offert. Postmodum jubente cæremoniarum Magistro, omnes instructo ordine extra ad aream templi procedunt, ubi pilos & sanguinem terræ infodiunt. Postea singuli ad sua loca redeunt. Tunc Magister cæremoniarum clamat alta voce: descendit spiritus Confucii, quo dicto Mandarinus plenum vino calicem sumit eumque in imaginem hominis è paleis contextam fundit, & sumptam è loculo Tabellam Confucii super altare collocat, precationem summas Confucii laudes continentem recitando. En prima pars sacrificii Confuciani.

Secunda pars incipit hac monitione Magistri cæremoniarum: flectamus genua. Quo audito, omnes genuflectunt, ac postmodum dicit, levate, atque omnes statim surgunt: tum qui Sacerdotis munus exequitur, manus lavat, & oblatum sibi ab uno ex Ministris pannum sericum, ab alio verò vas plenum vino suscipit. Clamat Magister cæremoniarum, Sacrificulus accedat ad Thronum Confucii. Hic, Musicis canentibus, pannum sericum, ac deinde vas vino plenum in altum tollit, sublataque Confucio offert. Magister cæremoniarum quater repetit, flectamus genua & levate; omnes quater genuflectunt toto corpore prostrati, ac se se in pedes erigunt, tum pannus sericus, ignitis carbonibus comburuntur, additâ quâdam precatione in honorem Confucii. Similiter post varias genuflexiones

& reverentias vinum offert cum aliqua precatione in qua spiritum Confucii tanquam præsentem alloquitur. Hîc finem habet secunda pars Sacrificii.

Ad tertiam partem Sacrificii proceditur, Magistro Cæremoniarum clamante, bibite vinum prosperitatis ac fœlicitatis; tum repetit, ut supra, flectamus genua, & alloquendo Sacrificulum ait, bibe vinum felicitatis, statim autem Sacrificulus calicem exhaurit. Postea clamante cæremoniarum Magistro, sume carnem Sacrificii; Sacrificulus à Ministro victimarum carnes suscipit, atque ambabus manibus sublatas in altum offert, adjunctis duabus precationibus, quarum ultima sic concluditur: Quodcumque tibi offerimus purum est atque odoriferum. Perfectis his cæremoniis nos mortales in pace conquiescimus, spiritus verò jucundatur. Ex his sacrificiis fiet ut bona & felicitates consequamur.

Postremo spiritum Confucii, quem advenisse & tabellæ insedisse credunt, ad suum locum abeuntem solemni reducunt precatione. Denique carnes sacrificii inter assistentes distribuuntur, quas qui ederint se per Confucium beneficia adepturos confidunt. His ritibus peragitur Confucii solemne sacrificium. Esset quidem hîc locus describendi cultus quem Sinæ parentibus mortuis exhibent; tamen abstinemus, quod nec ratione rituum, nec genere rerum sacrificandarum, nec intentione Ministrorum, & Assistentis familiæ discrepet à cultu Confuciano. Quinetiam, nostro judicio, vincit superstitionibus Confucii cultum; cùm in cultu parentum dies, quo oporteat sacrificari, sortitione seligatur, ac nummi papyracei, quod abest à Confucii oblationibus, mortuis parentibus

rentibus offerantur, & post oblationem crementur.

Parisiis anno salutis 1699. die verò Augusti decimâ.

De Cicé	*Tyberge* Superior.
L'Abbé	*De Brisacier.*
De la Vigne	*Prioux.*

Epistolam unà cum Expositione obtuli Summo Pontifici die 29. Augusti, qui audita, summa cum benignitate, Epistolæ lectione, jussit me tam Epistolam quam Expositionem tradere Domino Assessori, quod & feci die 30. ejusdem mensis.

F I N I S.

SE-

SECUNDÆ VINDICIÆ SCRIPTORUM NICOLAI CHARMOT

Procuratoris Generalis Reverendissimi Domini Maigrot aliorumque Episcoporum ac Vicariorum Apostolicorum Gallorum Asiæ Orientalis,

CONTRA

Varia Scripta idiomate Italo à Reverendissimis Pat. Societatis Jesu exhibita circa usum vocabulorum Tien, *Cælum*, & Xangti, *supremus Imperator*; *necnon Tabellarum inscriptarum* Kingtien, *Cælum Colito*;

OBLATÆ,

Sacræ Congregationi Sancti Officii die 18. Novembris 1699.

PRÆFATIO.



SI cui adhuc dictum fuerit Reverendos Patres Societatis Jesu tot scriptis suis hanc cultuum Sinensium causam implicare ac morari velle, id jam ei persuasissimum esse debet ex quatuor ultimis scriptu-

ris, quos Italo idiomate compositas eodem ferè tempori Sacræ Congregationi obtulerunt. Prima habet hunc titulum*: *Notizie intorno all' uso delle voci Sinesi* Tien, *cælum*, *&* Xangti, *Alti Dominus.* Secunda verò *Notizie circa l'uso delle Tabelle colle parole Cinesi*, Kingtien, *cælum colito*; & quasi eos puderet prolixiorum ejusmodi scriptorum, in quibus nihil penè novi afferunt, quod antea dictum non fuerit, statim duo alia scripta in modum compendii exhibuerunt, unum videlicet cum hoc titulo: *Ristretto delle notizie circa l'uso della voce Cinese* Xangti *che significa supremus Imperator, ò vero Alti Dominus, e della voce Tien che significa cælum:* alterum verò sic notatum: *Breve Ristretto delle Notizie gia dedotte circa l'uso delle Tabelle colle parole Kingtien, cælum colito*: quæ quidem duo priorum scriptorum breviaria adhuc tam longa & verbosa sunt, ut meritò rursum brevianda essent.

Nimis longum ac molestum esset quatuor hæc scripta minutatim refellere, præsertim cum de hoc argumento jam fusè egerim in Notis meis, sect. 3. à n. 201. usque ad numerum 233. in Brevibus Notationibus à numero 126. usque ad numerum 162. & in Dispunctione à numero 45. usque ad numerum 56, quæ omnia ferè Scriptor Societatis dissimulat ac silentio prætermittit. Sat erit præ-

præcipua loca, quæ ad rem magis faciunt & in quibus Scriptoris Societatis oscitantia, inscitia vel etiam mala fides sese prodit, perstringere, ut Edicti Reverendissimi Domini Maigrot justitia ac necessitas, & objectionum, quibus impugnatur, debilitas, magis magisque eluceat.

Ut autem rem compendio tractemus, visum est certa quædam facta seu principia proponere, ex quibus facilè quid in hac disputatione tenendum sit, quivis æquus ac prudens Judex agnoscat. Ejusmodi sunt quæ sequuntur.

I.

1. Quidquid sit de primis Auctoribus sectæ Literariæ & Fundatoribus Imperii Sinici, an Deum vivum & verum agnoverint, & sub nomine *Tien* vel *Xangti* adoraverint; certum ratumque est apud omnes, saltem à quingentis vel sexcentis annis (alii, ut Illustrissimus Gregorius Lopez, & Reverendissimus Aleonessa Episcopus Beritensis electus usque ad mille annos spatium istud producunt), Sinas Literatos totamque adeò Sinensium nationem nomine *Tien* vel *Xangti*, nihil aliud præter cœlum materiale, vel insitam ei vim efficientem intelligere. Idem confirmant ipsimet Jesuitæ in libro cui titulus: *Confucius Philosophus*, cujus extractum

typis editum Sacræ Congregationi obtulerunt, paucos dumtaxat Literatos excipiendo, quos à communi ſententia diſcedere, & ſub nomine *Xangti* verum Deum agnoſcere contendunt. §. 9. ejuſdem extracti.

II.

2. Cùm primis Miſſionis temporibus variarent ſententiæ Miſſionariorum Societatis circa uſum vocis *Xangti*, prohibitum fuit à Patre Andræa Palmeiro Viſitatore Sinicæ Miſſionis, ne quis eâ voce ad ſignificandum Deum uteretur, quod poſtea ab omnibus obſervatum eſſe teſtatur Procurator Generalis Societatis in ſuo Memoriali Sacræ Congregationi oblato die 12. Septembris 1697. & Pater Antonius Govea Sinicæ Miſſionis Viceprovincialis in Epiſtola à Patre Le Gobien typis edita, de qua poſtea fuſiùs agemus.

III.

3. Vocabulum *Tienchu*, jam ab initio Miſſionis vulgò Chriſtiani ad ſignificandum Deum Optimum Maximum uſurpârunt, id quod deinceps perpetuò uſque ad præſentem diem uſu receptum eſt.

IV.

IV.

4. Idem vocabulum *Tienchu*, quocumque alio exclufo, legitur in Catechifmis, precationum Libellis, Ecclefiarum foribus; quin etiam in noviffimo hodierni Imperatoris pro Chriftianis Edicto, Templa Chriftianorum vocantur *Tienchù tang*, & paffim Sinæ Gentiles cùm loquuntur de Chriftianis aut Evangelii Miniftris, eos nominant *Tienchu Tang Ti jin*, id eft, homines Ecclefiæ Domini Cœli, & nunquam *Xangti Tang Ti jin*.

V.

5. Vocabulum *Xangti*, ipfifmet Jefuitis fatentibus, ad fignificandum Deum, nonnifi cautè, & adjuncta explicatione adhibendum effet; cùm vocabulum *Tienchu* abfolutè ufurpetur, nullâque additione factâ, per fe Deum fignificet.

VI.

6. Vocabulum *Deus*, Θεὸς, aliaque Europæa ad fignificandum fupremum numen minimè in Chinam inducenda effe omnes conveniunt.

VII.

7. In hac quæstione agitur de stabiliendo in China nomine appellativo supremi numinis, quale est apud Græcos Θεὸς, apud Latinos *Deus*, non verò de nominibus adjectivis quibus supremi Entis perfectiones & attributa describuntur, qualia sunt apud nos *Rex Regum*, *Dominus Dominantium*, *Deus Sabaoth*. At vocabulum *Tien chu* jam pro appellativo nomine supremi Entis publico usu à Sinis receptum est; idque satis aptè cùm significet *Dominum cœli*, id est, rei, omnium nationum, Sinicæ præsertim, judicio, excellentissimæ ac perfectissimæ.

VIII.


8. Potuit esse appellativum nomen Supremi Numinis apud priscos Sinas vocabulum *Xangti*, si primi eorum Autores & Philosophi verum Deum cognoverunt. At cùm à sexcentis, vel etiam ut multis placet, à mille annis tota Literatorum secta in quemdam Atheismum delapsa sit, nullum aliud primum principium, præter cœlum materiale agnoscens, vox illa *Xangti*, proprium est nomen ejusdem cœli, seu insitæ ei virtutis effi-

efficientis, quam etiam *Li* vel *Taikie* appellant; adeòque non poteſt eſſe appellativum nomen Dei veri & viventis.

IX.

9. Hodiernus Imperator *Cambi*, tanquam ſectæ Literariæ caput, Libros de Philoſophia edidit, in quibus de cœlo materiali, ejuſque virtute efficienti, juxta Literatorum Sinenſium placita, diſputat, eidemque Cœlo & Terræ pro more Majorum publicè ſacrificat, unde huc uſque Sinicæ doctrinæ addictiſſimus & à ſuſcipienda Religione Chriſtiana valdè alienus videtur, de quo conſulendus Reverendiſſimus Aleoneſia.

10. His ita præmiſtis, ex quadruplici Patrum Societatis ſcriptura varia loca, quæ ſint alicujus momenti, Latinè ad verbum reddita excerpam, eiſque ſtatim adnotationes meas adjungam.



EX SCRIPTO

CUI TITULUS,

Notizie intorno all'uſo delle voci Cineſi Tien & Xangti. &c.

Scriptor Societatis.

11. PRimum factum eſt (verba ſunt Procuratoris in ſcripto cui titulus: Veritas facti.) nomine *Xangti*, cœlum materiale, non Deum verum intelligi &c. No. 1.

Adnotatio.

12. Primum factum quod ex Scriptoribus Societatis probandum mihi ſumpſi, eſt vocabula *Tien* & *Xangti*, apud Sinas Literatos à multis jam ſæculis non verum Deum, ſed cœlum materiale inſitamque ei virtutem rerum omnium effectricem ſignificare. Utrumque vocabulum *Tien* & *Xangti*, eo loco conjunxi, prout conjuncta habentur primo articulo Mandati Reverendiſſimi Domini Maigrot. Forte Librarii vitio factum eſt, ut vocabulum *Tien* exciderit in exemplari undè verba mea exſcripſit Scriptor Societatis.

Scriptor Societatis.

13 Tentat deinde probare iſtud factum auctoritate ſeptem Scriptorum Societatis eorum videlicet

licet textus, pro suo more, & prout magis suæ causæ conducebat, truncatos & decurtatos afferendo, ut infra videbitur, & ut jam demonstratum est in Libro Observationum quem habent Eminentiæ Vestræ, quo in libro, titulo; *Responsum Memoriali Dom. Charmot*, rursùm producuntur iidem textus fideliter extracti & integri, ex quibus evidenter patet; aut nihil eorum quæ vult Procurator, aut planè contrarium probari: huic autem demonstrationi tam claræ & palpabili nequidem verbum opposuit Dominus Charmot in Responsione ad præfatum Librum Observationum quæ inscribitur: *Notæ in Observationes*, tametsi Responsio illa valdè sit prolixa: ita ut ejus silentium in hac quæstione facti tam gravi & fundamentali, videatur esse tacita quædam confessio quod de illa ipsemet nihil amplius dubitet No. 1.

Adnotatio.

14. Observationes Residuales Patrum Societatis in quibus habetur titulus: *Responsum Memoriali Domini Charmot*, posteriores sunt notis meis quibus respondi priori eorumdem Patrum Libro cui titulus est: *Observationes in Mandatum Reverendissimi Domini Maigrot.* Unde in notis quidem meis de vocibus *Tien* & *Xangti*, tota sectione tertia à numero 201. usque ad numerum 223. fusè disputavi, sed objectionibus circa Semedum, Kirkerum aliosque Scriptores Societatis à me citatos, quæ tunc minimè erant factæ, non respondi: Respondi autem postea in alio scripto cui titulus: *Breves Notationes in præcipua loca Observationum Residualium*, à numero 126. usque ad numerum 162. ubi citatos à me ad probandum factum de quo agitur, Scriptorum Societatis

cietatis locos, satis, ut puto, vindicavi.

15. Quæ in hanc rem dixi longum esset ac molestum hîc repetere. De Patre Semedo libet tantum denuò observare, mihi propositum fuisse ejus auctoritate, quemadmodum & aliorum Societatis Scriptorum, solum factum probare, hoc est Sinas per *Tien*, cœlum, non Deum Opt. Max. sed cœlum materiale intelligere. Id autem evincitur ex verbis ejus à me allatis, ubi funus Reginæ Matris describens Part. 1. cap. 17. ait. *Octo post dies oblata sunt sacrificia Cœlo, Terræ, Planetis, Montibus, Fluminibus, magna cum solemnitate.* Quis enim non videat eodem prorsus sensu hîc accipiendum cœlum, ac terram, planetas, aliasque hujus visibilis orbis partes. Idem confirmat cap. 18. ubi ait: *Solummodo in Aula Regia Nankini & Pekini * sumptuosissima extant Templa Cœlo & Terræ dedicata, unica videlicet atque Imperatoris propria, in quibus ipsemet solus sacrificat, ut principalis sacrificii Minister, vel, si impediatur, ejus loco Magistratus Rituum ab eo delegatus.* Idem repetit cap. 19. cujus titulus est: *De superstitionibus & sacrificiis Sinarum. Sacrificare*, inquit, *Cœlo, Terræ, Soli, Lunæ, Planetis, & Stellis proprium est Imperatoris, & si quis alius id solemniter faceret, gravissimi delicti reus esset. Idcirco in utraque Aula Regia sumptuosissima sunt templa, in quibus Imperator quatuor anni tempestatibus, vere scilicet, æstate, autumno & hyeme sacrificat, illuc se conferens; vel si impediatur, aliquem ex Optimatibus mittit qui rem*

sacram

* De duobus his templis Cœlo & Terræ dicatis legendus etiam Trigautius, Lib. 1. cap. 10. & Magallensis in nova Relat. Chinæ cap. 21.

ſacram ejus vice peragat. Quibus ſtatim ſubjungit. *Aulæ Principes ac primarii viri ſacrificant, montibus, lacubus &c. Nobiles ac Magiſtratus quatuor anni tempeſtatibus & ſingulis quibuſque partibus terræ, montium & aliis ſimilibus.*

16. At, inquiunt Reverendiſſimi Patres. Pater Semedus cap. 18. expreſſè ait, ſectam Literariam non adorare Pagodas, ſed agnoſcere ſuperiorem aliquam poteſtatem ſive Dominum qui caſtigare & remunerari poteſt, de quo in Libris ſuis magno cum honore velut de re divina loquuntur.

17. Alio jam ſcripto reſpondi, de factis à Patre Semedo relatis agi, non de privata ejus ſententia in explicanda ſectæ Literariæ doctrina. Atqui, ut modo vidimus, non uno loco refert Semedus Sinas Literatos Cœlo æque ac Soli, Lunæ, ſtellis, montibus, fluviis ſacrificare, unde evidenter infertur *Tien*, ſeu cœlum cui ſacrificant, non aliud eſſe quam cœlum viſibile & materiale. Quapropter ne ſecum ipſe pugnet, id quod ait de ſupremo illo Domino bonorum ac malorum largitore, quem agnoſcunt Sinæ, intelligendum videtur dumtaxat de antiquis ſectæ Literariæ Philoſophis, qui juxta Patrem Riccium, verum Deum cognoverunt, non de poſterioribus aut hodiernis Sinis, quos à priſtina doctrina deſciviſſe & in Atheiſmum vel potius in idololatriam Atheiſmo mixtam delapſos eſſe omnes conſentiunt. Idque hoc eodem loco apertè ſignificat Semedus: ubi enim ait in ſecta Literaria agnoſci ſupremum aliquem Dominum de quo præclara multa in eorum Libris leguntur, ſtatim addit: *Sed cùm verum Deum diſtinctè non agnoſcerent,*

cerent, tria in mundo maximè celebria, præpotentia & utilia quæ Sancai appellant, cœlum videlicet, terram, & hominem adorare cœperunt. Per hominem autem intelligit viros insignes demortuos, qualis est Confucius, & parentes similiter mortuos usque ad quartum gradum, ut postmodum ipsemet explicat.

18. At rursum instant Patres Societatis: Semedus cap. 19. ait Sinas Literatos non videri sacrificare, Cœlo, Terræ, Montibus, Fluviis &c. sed earum rerum spiritibus, *idque*, inquit, *apparet in multis aliis eorum sacrificiis, ut in sacrificio domûs coquinæ, navis, vexilli, cum ad bellum proficiscuntur, & similium, in quibus sacrificiis non censentur sacrificare, nisi spiritibus tutelaribus ejusmodi rerum.*

19. Respondeo Sinas Literatos à multis saltem sæculis, nullos omninò veros spiritus agnoscere, sed per spiritus intelligere subtiliorem aliquam partem corporis, quæ sit in eo principium motûs & vitæ, aliarumque ejus operationum. Unde spiritum Cœli, quem *Xangti* appellant, reipsa ab ipsomet cœlo visibili & materiali non distingunt, ejusdemque esse naturæ volunt, ac spiritum terræ, spiritum montium, spiritum fluminum; cùm juxta eorum principia, omnia unum sint. Unde ejusmodi spirituum cultum esse superstitiosum & idololatricum constat, idque docet ipsa inscriptio capitis apud Semedum: *De superstitionibus & sacrificiis Sinensium.*

Scriptor Societatis.

20. Facta ea de re (de vocibus *Tien* & *Xangti*,) in China Decreta communi consensu virorum illorum verè Apostolicorum, & de novo appro-

probata & confirmata Romæ post longum ac diligentissimum examen, videntur majoris esse momenti N°. 2.

Adnotatio.

21. Missionariorum Societ. sententias circa usum vocabulorum *Tien* & *Xangti*, diu variasse, magnoque animorum æstu de hoc inter eos disputatum constat ex ipsa Patris Bartoli Historia, ubi refert Patrem Palmeirum Sinensium Missionum Visitatorem, cùm diffidentes hac de re Missionarios reperisset, usum vocis *Xangti* ad significandum Deum suppressisse, quam postea anno 1645. Pater Hurtado Viceprovincialis ita restituit, ut Tractatum Patris Longobardi, quo maximè nitebantur, qui vocem *Xangti* oppugnabant, flammis aboleri jusserit. Pro voce *Xangti* cum Patre Riccio stabant Pater Pantoia, & Pater Vagnoni; contra verò cum Patre Longobardo stabant Patres Ruis, Sabbatini, Rodriguez, Passio Japonicæ Missionis Visitator & plerique alii in Japonia Missionarii, ut videre est in prologo Tractatus Longobardi apud Illustrissimum Navarrettam tom. 1. pag. 245. & apud Bartolum lib. 4. pag, 895. De eo autem postea inter Missionarios Societatis plenè convenisse nusquam legitur. Denique si quæ sint ea de re Missionariorum Societatis Decreta vel Statuta, quis ea Romæ examinavit, quis approbavit & confirmavit? Non summus Pontifex, non Sacra Congregatio de propaganda fide; non Consultores & Theologi à S. Officio deputati. Ergo solum Collegium Romanum Societatis ejusque Theologi, quorum judicio & oraculis Sinensis Missio, quandiu in ea soli fuerunt Jesuitæ, regebatur.

Scrip-

Scriptor Societatis.

22. Ad condendum Edictum tam decretorium, quale est mandatum Reverendissimi Dom. Maigrot, quo agitur de mutanda totius nationis lingua, aut saltem de exterminandis quibusdam vocibus ex omnibus Ecclesiis &c. No. 4.

Adnotatio.

23. Nihil de mutanda patria Sinarum lingua hîc agitur. Retineant, quantum libuerit, Literati Sinæ voces *Tien* & *Xangti*, & de vera illarum significatione inter se aut conveniant aut disputent. Hoc unum agitur, ut Christiani, recepta jam communi usu voce *Tienchu* ad significandum Deum, voces *Tien* & *Xangti* ad idem significandum, non adhibeant, cùm à multis saltem sæculis apud Sinas nihil aliud quam cœlum materiale significent.

Scriptor Societatis.

24. Ad ejusmodi Decretum condendum, videtur multo major linguæ & morum Sinensium peritia requiri; quàm habeant aut comparare potuerint tum Dominus Maigrot, tum Dominus Charmot tempore quo in China commorati sunt, vel non ita longo, vel variis negotiis interrupto, hærendo semper in una ex extremis Provinciis, nec unquam in interiores partes illius Imperii penetrando, vixque ullam cum Literatis & Mandarinis consuetudinem habendo. Ibid.

Adnotatio.

25. Linguæ Sinicæ peritiam non mihi arrogo: fateor eam me non didicisse. At de Reverendiss. Dom. Maigrot, qui totos jam quindecim annos in China commoratur, consuli potest Reverendissimus Aleonessa Episcopus Beritensis electus, an in Literis & Philosophia Sinensi novitius sit ac tyro,

tyro, qualem illum vellet haberi Scriptor Societatis. Provincia Fokiensis, in qua maximè moratus est, Literatis & Mandarinis politioris atque exquisitioris doctrinæ abundat, ut testantur ipsimet Missionarii Societatis in annuis literis de statu Sinensis Missionis anno 1626. scriptis, & Romæ anno 1629. typis editis, ubi articulo de Missione Fokiensi hæc ipsa verba habent: *Desideravano già li Padri d'havere una residenza nella Provincia di Fokien, che li Portoghesi chiamano Cinceu, non solo perche continua con Cantone, mà anco perche ivi fioriscono sopra modo i Letterati e Mandarini.*

26. Neque tamen in ea Provincia ita hæsit Dominus Maigrot, quin ad alias transierit, & in quibusdam etiam residerit, ut in Provincia Cantonensi, & Kiangtiensi. Nankinum quoque anno 1685. profectus est consilio & oratu Patrum *Grellon* & *Grimaldi* è Societate ad procurandam concordiam & consensionem nostros inter Missionarios, & Missionarios Societatis, quod tamen frustrà fecit; cùm neque Patrem *Gabiani* Viceprovincialem convenire potuerit, neque scriptis literis, ullum ab eo responsum acceperit. Eo autem itinere Provinciam Chekiangensem bis pertransiit. Denique unde habet scriptor paucos esse Literatos ac Mandarinos quibuscum Reverendissimus Maigot congressus fuit? Mitto falsò supponi summam Literarum Sinensium peritiam requiri, ut quis statuat voces *Tien* & *Xangti* minimè adhibendas ad significandum Deum; cùm ad hoc sufficiat scire tanquam rem certam ac notam in China, utraque hac voce à multis jam sæculis non Deum verum, sed cœlum materiale signi-

significari; quidquid sit de sententia primorum, Autorum sectæ Literariæ ac veterum Sinensium circa ejusmodi vocum significationem & usum, de quo fateor nihil statui posse nisi à linguæ ac Literarum Sinensium peritis.

Scriptor Societatis.

27. De voce *Xanti* refertur quod jam olim approbata sit in pleno conventu Theologorum ea de re Macai facto, quos inter erant Episcopus Japoniæ & Pater Vallegnani Visitator, No. 7.

Adnotatio.

28. Hujus conventus fides sit penes Patrem Danielem Bartolum, qui prout interest Societatis solet res vel minuere vel exaggerare. Plenus ille conventus fuit ad summum aliquot Jesuitarum, quos inter erat Episcopus Japoniæ, qui & ipse è Societatis adlectus Macai semper hæsit, nec unquam in Japoniam profectus est.

Scriptor Societatis.

29. Harum vocum cursum interrumpere tentavit Pater Nicolaus Longobardus, vir quidem sanctissimæ vitæ, zeli indefessi, rerum Sinicarum usu peritus, missionum Sinensium benè meritus, sed qui linguæ Sinensis peritiæ parem non habuit ingenii ac scientiæ Theologicæ dotem, unde nec ad professionem quatuor votorum in Societate admissus fuit. No. 9.

Adnotatio.

30. Longobardum linguæ ac rerum Sinensium peritum fuisse agnoscit scriptor Societatis quod in hac quæstione de admittendis vel repellendis vocibus *Tien* & *Xangti* ad significandum Deum magni momenti esse debet. Parum verò ad id refert an plus vel minus doctrinam Theologicam calluerit, hoc

hoc est, ut vulgò intelligitur, scholasticam, in qua plerumque alumni Societatis Suarem & Vasquem duces sequuntur. De professione quarti voti, jam monui in Dispunctione, No. 122. Sotuelum in Catalogo Scriptorum Societatis hæc de Longobardo habere: *Crescentibus in dies viri Apostolici meritis, & accedente peritia insigni linguæ Sinensis, jussus est à Præposito Generali Mutio Vittellesco vota quatuor solemnia emittere, & gradum Professorum capessere.* Sed forte ista nequidem legere dignatus est Scriptor Societatis.

Scriptor Societatis.

31. Tandem convenerunt inter se partes (in Conventu Kiatinensi) retinendum esse usum vocis *Xangti*, eâ tamen conditione ut ei adjungeretur declaratio typis edenda, ad cavendum ne falso sensu acciperetur ab idiotis, de quibus solis, non de Literatis dubium erat, ut sapienter observat Historicus. [P. Bartolus Lib. 4. pag. 897. Ibid.

Adnotatio.

32. Itaque, fatentibus Jesuitis, in Conventu illo Kiatinensi Missionariorum Societatis, ubi acriter de voce *Xangti* disputatum est, permissus non fuit istius vocis usus ad significandum Deum, nisi præmissâ declaratione quæ malum ejus sensum excluderet. Quis verò non videat declarationem ejusmodi, tametsi typis editam, non sufficere ad malum illum sensum excludendum? Quis non advertat ei omninò præferendam vocem *Tienchu*, quæ jam ab initio in usum admissa, absolutè & sine ullo adjuncto Deum Optimum Maximum significat?

Scriptor Societatis.

33. Id revera ita decretum fuisse in Conventu

Kiatinensi indubitatum est ex infinitis documentis quæ penes nos sunt; non verò id quod refert Dominus Charmot in suis Notis N°. 204. solâ nixus auctoritate Navarrettæ Tom. 2. qui quidem Tomus nunquam in lucem prodiit, & cujus, ut partus abortivi, exemplaria publicâ auctoritate suppressa sunt. Ibid.

Adnotatio.

34. Ut quid Patres Societatis acta illa & documenta Conventus Kiatinensis S. Congregationi non exhibent? Sic facilè quæ apud Navarrettam referuntur, falsitatis arguerentur, si ab autenticis illis documentis discreparent. Sed id frustrà quis ab eis expectet. Verissimam esse relationem hujus Conventus quæ apud illustrissimum Navarrettam Tom. 2. Tract. 2 à pag. 109. usque ad paginam 137. habetur, statim agnoscet quisquis eam legerit. Certè non sine divina providentia actorum ejus exemplum nactus est Reverendissimus bonæ memoriæ Episcopus Heliopolitanus à duobus Patribus Societatis qui illud ad eum ultrò & clanculum, dum Siami degeret, detulerunt, ut ibidem narrat illustrissimus Navarretta. Porrò falsum est Tomum secundum ejusdem Navarrettæ Matriti in Regia typographia Joannis Garciæ *Infançon* anno 1679. cum privilegio editum nunquam in lucem prodiisse. Ejus quidem exemplaria, solitis Patrum Societatis artibus, fuerunt postmodum capta & ad ædes Sacræ Inquisitionis delata, ubi hactenus asservantur. Sed quod Societati non parum dolet, nonnulla ante exemplaria venierant, aut à Typographo servata, non multo post ad eruditorum bibliothecas demigrarunt, ubi magno hodiè pretio habentur.

35. Lu-

35. Lubet hîc ob raritatem Libri, primum casum in illo conventu propositum ac decisum totidem verbis ex idiomate Hispano Latinè redditum offerre: *Prima conclusio*: *Rex alti quem admittit secta Literaria non est verus spiritus*: *Sinæ quippe veros spiritus non agnoverunt*, *sed solùm vim operativam & influxum cœli ad producendum res universi*, *quas è cœlo*, *seu* Tai Kie *ortum ducere arbitrantur*. *Vis illa operativa seu influxus est ipsemet Rex alti*, *ut ex antiquissimis eorum Libris constat*: *hic primus est spiritus quem agnoscit secta Literaria*, *præter alios peculiares*, *quales sunt spiritus montium*, *aquarum*, *fluminum*, *locorum &c.*

Scriptor Societatis.

36. Adeò ut Reverendus Dominicus Sarpetrius Ordinis Prædicatorum vir propagandæ fidei studiosissimus, singularis prudentiæ ac bonitatis, peritissimus rerum quæ ad Chinam pertinent, ubi annos 30. & amplius, multo cum labore Apostolicum munus implevit &c. No. 10.

Adnotatio.

37. Quàm parùm hoc elogium Patri Dominico Sarpetrio conveniat, ostendit perscriptum de illo testimonium illustrissimi Navarrettæ, qui eum probè noverat, utpote ejus in China Superior seu Præfectus. Longum esset testimonium illud exscribere, quod quivis legere potest in Apologia Patrum Dominicanorum nuper edita pag. 168. Appendicis: ubi etiam pag. 119. habetur sententia seu judicium sex Missionariorum Ordinis Prædicatorum de non admittendis ad baptismum Catechumenis, nisi cultibus Confucii ac Progenitorum renuntient, quos inter ultimo loco legitur

 no-

nomen Patris Dominici Sarpetri, qui tamen paucis post annis ab hac Ordinis sui sententia discedens, Missionariorum Societatis doctrinam sequutus est.

Scriptor Societatis.

38. Tandem sicut Deo placuit, nova hæc contentio etiam sedata est, mutua plenaque pace stabilita in celebri plurium annorum congressu Cantoniensi, cum in ea Metropoli ob religionem relegati essent & captivi plerique Sinenses Missionarii variorum Ordinum & Nationum. Ibid.

Adnotatio.

39. In illo congressu erant omninò viginti-tres Missionarii, decem & novem ex Societate Jesu, tres ex Ordine Prædicatorum, & unicus ex Ordine Seraphico, qui omnes in domo Patrum Societatis sub custodia quidem, sed tamen quasi liberi commorabantur, donec Macaum juxta Regia mandata deducerentur, quod tamen postea factum non est, ut narrat illustrissimus Navarretta Tom. 1. Tract. 6. pag. 352. 353. Tres Missionarii Ordinis Prædicatorum erant Pater Dominicus Navarretta Præfectus Missionum Ordinis sui, Pater Leonardus, & Pater Sarpetrius: unicus ille Franciscanus erat Pater Antonius à Sancta Maria vir magni nominis, ut auctoritate Apostolica constitutus Missionum Ordinis sui Præfectus. An decem & novem Missionarii Societatis circa usum vocis *Xangti* convenerint, valdè dubium est. Certè de hac quæstione ne verbum quidem habetur in quadraginta duobus articulis ejus congressus quos refert & examinat illustrissimus Navarretta Tom. 2. Tract. 4. & qui etiam leguntur in Libro Constitutionum Apostolicarum, Brevium, Decretorum

rum &c. Parisiis juxta Romanum exemplar anno 1676. edito, part. ult. pag. 29. Facilè crediderim tot inter articulos nihil de usu vocis *Xangti* positum fuisse, tum quod nec ipsi Jesuitæ hac de re inter se convenirent, tum quod Pater Navarretta & Pater Antoninus à Sancta Maria sententiæ quæ usui ejus vocis favebat, apertè contradixerint.

Scriptor Societatis.

40. Omnes illi gloriosi Christi Confessores, post longas consultationes tandem pactis conventis subscripserunt, tam circa usum vocis *Xangti*, quam circa alia capita inter eos controversa. Quin & ipsimet Patres Frater Dominicus Navarretta Dominicanus, & Frater Antonius à Sancta Maria Franciscanus, qui huc usque vocem *Xangti* vehementius atque ardentius oppugnarant, in eandem sententiam convenerunt, quorum subscriptionis habemus apud nos documenta authentica & omni exceptione majora.

Adnotatio.

41. Documenta illa authentica & omni exceptione majora producant Reverendi Patres. Secus enim res se habere omnes persuasum habent, tum ex scriptis illustrissimi Navarrettæ, tum ex aliis Libris in lucem editis. Forte inter illa documenta plenissimæ certissimæque auctoritatis erit illa famosa epistola Navarrettæ data die 29. Septembris 1669. cujus falsitatem ac suppositionem tantâ evidentiâ demonstravit clarissimus Scriptor in confutatione Tellerianæ Defensionis novorum Christianorum, ut Pater Le Tellier obmutuerit. Idem argumentum novissimè tractatum habes in Apologia Dominicanorum adversus eundem Patrem

Le Tellier & Patrem *Le Gobien* toto capite 18. à pag. 288. uſque ad pag. 320. cui quidem Apologiæ conjuncti ſimul omnes Societatis Scriptores nunquam reſpondebunt. De Patre Antonio à Sancta Maria ſpeciatim falſiſſimum eſt, eum de admittenda voce *Xangti* ad ſignificandum Deum Jeſuitis conſenſiſſe, aut quadraginta duobus articulis Cantonienſibus ſubſcripſiſſe. Nunquam enim adduci potuit, ut quatuor ex illis articulis ſextum, vigeſimum, vigeſimum ſecundum, & quadrageſimum primum admitteret; imò conſtanter illos uſque in finem oppugnavit, quos inter præcipuus erat quadrageſimus primus de tolerandis cultibus Confucii & Progenitorum.

42. Id clariſſimè patet ex Tractatu quem anno 1668. ea de re Cantone ſcripſit, & ad Partem Ludovicum de Gama Viſitatorem Miſſionum Societatis Macai degentem miſit, cujus exemplum ipſa manu Religioſiſſimi Auctoris exaratum Romam poſtea miſſum eſt, quod in Archivio S. Congregationis de propaganda fide ſervatur. In fine hujus Tractatus ſic Patrem Viſitatorem Hiſpanicè alloquitur: *He repreſentado a V. P. mui reverenda las raçones que me movieron para no aſentir al aſiento de las conſultas ſobre los tres puntos referidos: por eſſo mi nombre non fue ſubſcripto entre los demas nombres de los Padres de dichas Conſultas.* Quæ verba ſic Latinè ſonant: *Veſtræ Paternitati admodam reverendæ rationes expoſui, quibus adductus non potui aſſentiri deciſioni poſt Conſultationes factæ circa tres articulos à me allatos: quapropter nomen meum non fuit ſubſcriptum inter reliqua nomina Pātrum prædictarum Conſultationum.*

43. No-

43. Notandum autem in hoc ipso Tractatu Patrem Antonium à S. Maria de voce *Xangti* fusè disputare, multisque adductis rationibus probare, minimè adhibendam esse ad significandum Deum, sed retinendam esse vocem *Tienchu* iam inter omnes publico usu receptam.

Scriptor Societatis.

44. Hocce tempore plusquam centum sexaginta Missionarii è Societate Chinam ingressi sunt, in ista Domini vinea operaturi, quorum alii natalium nobilitate illustres & ex primis Europæ familiis, alii ab virtutum excellentiam apud illos populos sanctitatis famam consecuti. Ibid.

Adnotatio.

45. Cum è China discessi anno 1694. Missionarii ex Societate non plures erant quam viginti novem. An postea eorum numerus ita excreverit, ut hîc narratur, ignoro. Id unum scio, non omnes illuc titulo Missionis profectos, sed complures titulo Mathematices, Astronomiæ, aliarumque scientiarum vel artium liberalium atque etiam mechanicarum. De mechanicis nequidem ipsi taceri voluerunt, quandoquidem Edictum Imperatoris pro libertate Christianæ Religionis Latinè redditum publicarunt, in quo mentio habetur armorum ac tormentorum bellicorum, quæ ope atque industria Patrum Jesuitarum tempore belli fabricata sunt. Quapropter multi non ab Apostolica Sede, ut quarto se voto obligarunt, missi, sed Regia auctoritate, ut ipsimet jactitant, delegati ad Aulam Imperatoris Pekinum advenerunt. Atque idcircò forte scriptor eos hîc ut genere nobiles commendat, cum no-

bilitas Apoſtolicum Miſſionarii munus nihil juvet, Principum verò Legatis novam aliquam dignitatem atque auctoritatem addere ſoleat. Certè natalium ſplendor & familiæ vetuſtas in Miſſionario Sinenſi nihil omnino ei auctoritatis confert ad præſentem de voce *Xangti* quæſtionem dirimendam.

Scriptor Societatis.

46. Alii pro confeſſione fidei Jeſu-Chriſti glorioſa morte coronati. (Ad marginem legitur hæc nota) Pater Didacus de Morales occiſus deinde pro fide in Japonia, qui Apologiam doctiſſimam pro noſtris Miſſionariis conſcripſit. Ibid.

Adnotatio.

47. Honori Societatis parum conſulit ſcriptor, dum loquens de ejus Miſſionariis qui pro fide Chriſti mortem obierunt, unicum Patris Didaci Moralis exemplum affert; ſiquidem, ut jam monui in Diſpunctione, numero 108. illuſtriſſ. Navarretta Tom. 2. Tract. 8. in quo ejuſdem Moralis pro Societate Apologiam confutat, non uno loco teſtatur tanquam rem certam & in Philippinis Inſulis notam, quod è Manila in Japoniam ſolvens, Chriſtianam fidem deſeruerit & uxorem duxerit.

Scriptor Societatis.

48. Sed quod majoris eſt momenti, ipſimet Patres Frater Joannes Baptiſta Morales & Frater Antonius à S. Maria, qui infenſiùs duas iſtas voces *Tien* & *Xangti* oppugnarunt, communi quaſi uſu abrepti eas ipſas in Libris lingua Sinenſi compoſitis vulgari ſignificatione non potuerunt non adhibere N°. 11.

Ad-

Adnotatio.

49. Huicce objectioni fuse respondi in notis sect. 5. art. 1. n. 265. 266. 267. Quid scriptorem juvat, dissimulatis responsionibus meis, hæc iterum objicere? De eadem objectione videsis quæ habentur in Apologia Dominicanorum cap. x1. & cap. 26. Neque enim lubet has Adnotationes inutilibus repetitionibus amplificare.

Scriptor Societatis.

50. Notandum est Patrem Mutium Vittellescum Societatis Generalem antequam mandaret vocem *Xangti* apud Missionarios Sinenses possessionem suam retinere, non solum Theologos nostros consuluisse. N°. 13.

Adnotatio.

51. Non absolutè rescripsit Reverendissimus Generalis Vitellescus, conservandam esse vocem *Xangti*, sed potius minimè in posterum adhibendam ad significandum Deum; tametsi delenda nequaquam esset ex Libris Patris Matthæi Riccii, ne eorum auctoritas minueretur. Ita refert Pater Antonius à Sancta Maria in prædicto Tractatu quem Cantone scripsit, & Patri Ludovico de Gama Visitatori Societatis Macaum misit, nunquam id in eo scripto affirmaturus, nisi ita rem se habere ab ipsismet Societatis Missionariis, quibuscum degebat, audiisset. En ipsa verba Patris Antonii: *Vino orden del Reverendissimo Padre General Societatis Jesu, que non se usasse mas deste nombre* Xangti, *ne debaio deste termino se predicasse el nombre y ser divino de nuestro Dios y criador; però que en los Libros del Padre Matthæo Riccio no se toccasse por causa del buen credito.* Id ipsum confirmat epistola Patris Sarpetri Domini-

cani ad Sacr. Congregationem de propaganda fide relata à Patre Le Teilier Tom. 2. pag. 222. ubi agens de eadem quæstione, notat Superiores Societatis, cum acriter de ea disputaretur, sapienter statuisse, ut in Libris jam editis, in quibus vocabulum *Xangti* occurrebat, nihil mutaretur; at imposterum Missionarii ea voce abstinerent, nisi forte in disputatione convincendi essent athei Sinenses argumentis ex eorum libris & doctrina desumptis.

52. Idem narrat Pater Antonius de Govea Viceprovincialis Societatis in Epistola quam primus Gallicè edidit Pater *Le Gobien* in sua Elucidatione pag. 289. nonnulla quidem paulo aliter quam Pater Antonius à Sancta Maria & Pater Sarpetrius commemorans, sed quæ adhuc magis voci *Xangti* adversantur. Postquam enim notavit Patrem Andræam Palmeirum Visitatorem Missionariis interdixisse nequis imposterum voce *Xangti*, sive in compositionibus Librorum, sive in instructionibus & exhortationibus, uteretur, *quod*, inquit, *ab eo tempore observatum est*; continuò hæc addit, *sed quia Reverendissimus P. Antonius à Sancta Maria quodam Patris Longobardi Tractatu, qui suppressus fuerat, nixus, nobis de voce Xangti litem movit, Libros Patris Matthæi Riccii aliorumque Jesuitarum damnans, quod voce* Xangti *Dei nomen designari posse docuerint; aliqui ex nostris Patribus sui muneris esse duxerunt, Sinensium Librorum testimoniis, probare hoc nomine verum Deum compellari posse.*

53. Hoc Patris Antonii de Govea testimonio patet Reverendissimum Dom. Maigrot primo sui

ſui mandati articulo nihil aliud circa vocem *Xangti* ſanxiſſe, quam quod ſuperiores Societatis jam diu præceperunt, & ab omnibus ejuſdem Societatis Miſſionariis ſervatum eſt, id quod ingenuè confeſſus eſt Procurator Generalis Societatis in ſuo memoriali de quo ſupra No. 2.

Scriptor Societatis.

54. Quod ſpectat ad ſecundum caput reſpondeo his verbis Patrem Procuratorem Generalem [in Libello ſupplici ſummo Pontificii oblato] alludere ad ſtatuta noſtrorum Miſſionariorum in conventu Kiatinenſi modò citato, & juxta ea intelligi debere : quapropter ſolum ſignificat Miſſionariis noſtris aliisque Chriſtianis illarum partium interdictum fuiſſe liberum & abſolutum uſum utriuſque vocis *Tien*, & *Xangti*; ſecus verò, ſi voces illæ, debita cum ratione, & opportuna modificatione adhibeantur. No. 15.

Adnotatio.

55. Quam miſerè ſe torquet Scriptor, ut Procuratoris Generalis verba contra clarum eorum ſenſum interpretetur! Melius erat dicere eum de his rebus non ſatis edoctum, aliqua Societatis rationibus minus commoda imprudenter protuliſſe. Sed talem inter eos diſſenſionem, vel in Procuratore Generali oſcitantiam fateri noluit. Sanè hocce exemplo liquet, non olim tantum, ſed neque etiam hocce tempore Patres Societatis de hac quæſtione inter ſe convenire.

Scriptor Societatis

56. Hinc Pater *Le Comte* vir non minus probitate quam prudentia & doctrina commendatus, qui è China redux nunc Confeſſarius eſt Dominæ Duciſſæ Burgundiæ No. 19.

Adno

Adnotatio.

57. Quid ad rem facit ſcire nos Patrem Ludovicum *Le Comte* eſſe ſereniſſ. Duciſſæ Burgundiæ à confeſſionibus? Niſi forte exiſtimet Scriptor, fore ut eâ, quam ſibi arrogant, Chriſtianiſſimi Regis, gratiâ, ab hujus cauſæ defenſione deterreamur. Certè hiſce diebus Jeſuita quidam Scriptori non ignotus jactabat, Societatem habere ſex è ſuis in Aula Gallica, quibus totam familiam Regiam gubernaret. At hæc minimè nos attendimus, tum quod ſatis perſpecta ſit Chriſtianiſſimi Regis noſtri pietas & religio, tum quod certi ſimus Apoſtolicam Sedem, pro immobili ſua firmitate, ſine ulla perſonarum acceptione, de graviſſima hac cauſa judicaturam.

Scriptor Societatis.

58. Sic Pater *Le Comte* cujus verba etiam Dominus Charmot citavit & approbavit, tametſi ea parum fideliter in Latinum tranſtulerit. Ibid.

Adnotatio.

59. Quid in mea verſione Latina reprehendat Scriptor, debuiſſet ſpeciatim notare, non generali & captioſa accuſatione mihi malæ fidei crimen inferre. Certè verba Latina relegens, Gallici ſermonis ſenſum in iis perfectè expreſſum reperi. Quantum verò eo loco Pater *Le Comte*, pro iis faciat, qui vocem *Xangti* negant admittendam, legenti ſtatim apparet. Agnoſcit enim & apertè declarat ſectam Literariam in Atheiſmum decidiſſe, & voce *Xangti* aliud omninò quam verum Deum intelligere.

Scriptor Societatis.

60. Hæc ratio æque militat contra vocem *Tienchu*, atque contra voces *Xangti* & *Tien* N°. 21.

Ad-

Adnotatio.

61. Huic objectioni jam satisfactum est in Notis meis, sect. 3. art. 5. No. 226.

Scriptor Societatis.

62. Melius in hoc sibi constant Pater Longobardus, Pater Frater Dominicus Navarretta, & Pater Frater Antonius à Sancta Maria. Ibid.

Adnotatio.

63. Pater quidem Longobardus & illustrissimus Navarretta, rejectis vocabulis Sinensibus, ad introducendum nomen Europæum propensiores videbantur. An verò uterque in hac sententia perseveraverit, incertum est. De Patre Antonio à S. Maria constat ex ejus Tractatu supra citato, ei persuasum fuisse repulsis vocibus *Tien* & *Xangti*, retinendam esse vocem *Tienchu*, tanquam publico & communi usu jam receptam.

Scriptor Societatis.

64. Si multitudo illa nominum ad significandam rem summo gradu unam & indivisibilem, laude digna est, atque utilis in omnibus aliis partibus Orbis Christiani, prout cum sancto Dionysio docent omnes Theologi. . . . . . id non solum erat utile, sed quodammodo necessarium in China, maximè initio prædicationis Evangelicæ, ob sectarum varietatem, & cujuscumque nominis abusum.. Ibid.

Adnotatio.

65. Nomen supremi numinis appellativum quod unicum est in singulis linguis Orbis Christiani, confundit Scriptor cum aliis nominibus quasi adjunctis, quibus Dei attributa, bonitas videlicet, omnipotentia, sapientia, sanctitas, providentia & alia similia significantur, vel etiam de-

describuntur, de quibus agit Sanctus Dionysius de divinis nominibus cap. 1. & cap. 11. 12. & 13. & post eum S. Thomas 1. p. qu. 13. a. 3. aliique Theologi. Unde falsò concludit non utile solum, verùm etiam quasi necessarium fuisse pluribus nominibus apud Sinas Deum appellare, nomine scilicet *Xangti* vel *Tien*, ubi agendum est cum idololatris, qui nonnulla idola *Tienchu* nuncupabant; nomine verò *Tienchu*, si quando cum Literatis in Atheismum delapsis, qui nullum aliud primum principium præter cœlum materiale & vim ejus efficientem agnoscunt, disputandum foret. Pessima enim esset hæc ratio prædicandi Evangelii, cum hæc ambiguæ significationis verba nullam in audientium animis Dei Opt. Max. notionem nisi falsam aut periculosam imprimere possent. Ante omnia annunciandus illis erat Deus, ut primum ac summum ens, ut spiritus summè intelligens, ut rerum omnium creator & gubernator, ut bonorum remunerator ac malorum vindex &c. ac deinde appellativum aliquod nomen seligendum, cui summi illius entis notio subjiceretur, idque non multiplex, sed unicum, ne si multa essent, audientium vel legentium intelligentiam varietate non tam juvarent, quam perturbarent; id quod sapienter nec sine divino nutu factum videtur in nomine *Tienchu*, Dominus Cœli, quod jam à principio missionis ad significandum Deum ab omnibus receptum est.

Scriptor Societatis.

66. Primò usus non plus favet uni, quam alteri duarum illarum vocum (*Tienchu* & *Xangti*) ideoque ambæ eodem privilegio gaudere debent. N°. 22.

Ad-

Adnotatio.

67. Non eadem eſt ratio utriuſque hujus vocis. Nam verbum *Tienchu* jam à principio Miſſionis, nemine contradicente, receptum, hucuſque eandem vim ac ſignificationem obtinet: at nomen X*angti* auctoritate Patris Riccii admiſſum, multos etiam ex Societate habuit adverſarios, & in conventu Kiatinenſi, de quo ſupra, rejectum, à Patre Palmeiro Viſitatore penitus ſuppreſſum, denique à Reverendiſſimo Mutio Vittelleſco Generali nonniſi in Libris, & adhibitis certis cautionibus, permiſſum fuit. Unde prioris verbi longè melior eſt conditio, quam poſterioris.

Scriptor Societatis.

68. Itaque mihi propoſitum eſt quatuor capita iis quæ Reverendiſſimus Maigrot & ejus Procurator exponunt penitus contraria, demonſtrare. Primum eſt veteres Sinas aliquam veri Dei notitiam habuiſſe. N°. 24.

Adnotatio.

69. Primi hujus capitis diſceptatio relinquenda iis qui linguam literaſque Sinenſes apprimè norunt, præſertim cum ab hoc nequaquam pendeat quæſtio de qua inter nos agitur. Itaque hæc ut cauſæ inutilia, vel ſaltem minimè neceſſaria, prioribuſque meis ſcriptis jam ſatis explicata, ſine nova reſponſione prætermittam.

Scriptor Societatis.

70. Tertiò quantumvis nunc generalis corruptio in tota China regnet, & in ſecta Literatorum prævaleat Atheiſmus ac Dei ignorantia, mihi propoſitum eſt demonſtrare hanc ignorantiam non tam eſſe univerſalem, quam ſibi illam fingit & aliis vult perſuadere Reverendiſſimus Maigrot. Ibid.

Ad-

Adnotatio.

71. Fatetur Scriptor generalem esse in China corruptionem, atque in secta literaria prævalere Atheismum & Dei ignorantiam. Addendum novam non esse hanc corruptionem & ignorantiam, sed ut minimum à quingentis vel septingentis annis apud totam Sinarum nationem grassari, ut sæpè dictum est. Hoc semel posito, etsi concederem aliquot nunc Literatos in Aula Pekinensi ipsumque Imperatorem *Cambi* regnantem aliquam veri Dei notitiam habere; ratum tamen fixumque manet, corpus ipsum sectæ Literariæ adeoque universam Literatorum nationem Atheismo laborare, hoc est nullum aliud primum principium vocibus *Tien* & *Xangti* intelligere, præter cœlum materiale eique inditam vim ceterarum rerum effectricem. Ex hoc autem conficitur id quod mihi probandum est, videlicet utramque illam vocem à Christianis ad significandum Deum Optimum Maximum minimè adhibendam, ob incommoda quæ ex ambigui verbi significatione sequerentur.

Scriptor Societatis.

72. Iis quæ hactenus dicta sunt opponi poterit, nihil mirum esse Sinas per tot sæcula sine cognitione veri Dei vixisse, quandoquidem Græci, Persæ, Chaldæi, Ægyptii, aliique populi non minus culti & eruditi in iisdem tenebris jacuerunt . . . . . Respondebunt quoque Sinas sapientes fuisse veros idololatras, eorumque idolum fuisse cœlum, cui templa fabricarunt & sacrificia obtulerunt. No. 32. 33.

Adnotatio.

73. Utrumque revera jam respondi & opposui Scriptoribus Societatis in Notis meis, sect. 1. art. 10.

10. n. 146. sect. 3. art. 2. n. 215. & in Dispunctione n. 54. neque hactenus quicquam contra ea solidi, Patres Societatis attulerunt.

Scriptor Societatis.

74. Unde qualiscumque fuerit opinio de Deo in mente veterum Sinarum, nomen *Xangti* quo illum exprimere voluerunt non minus innocens dici potest quam tempore Gentilium fuerint apud Latinos & Græcos nomina *Deus* & Θεὸς.

Adnotatio.

75. Si nullum aliud rerum principium agnoverunt antiqui Sinæ præter cœlum materiale, nomen *Xangti* apud eos non fuit nomen appellativum Dei, cujus eos nullam veram notitiam habuisse supponimus, sed fuit nomen proprium & peculiare materiæ primæ vel insitæ ei virtutis efficientis, quam etiam alio nomine Literati appellant *Taikie* & *Li*. Unde in hac hypothesi non est eadem ratio nominis *Xangti* apud Sinas atque nominum Θεὸς & *Deus* apud Gentiles, Græcos, vel Latinos, ut jam supra observatum est. Certè vocabula *Taikie* & *Li* quæ in secta Literatorum propria sunt nomina materiæ primæ vel vis efficientis ei insitæ, malè quis pro appellativo Dei nomine apud Sinas usurparet. Quidni igitur idem dicendum de voce *Xangti*, quam constat saltem à multis jam sæculis apud Literatos idem prorsus significare, ac voces *Li* & *TaiKie*?

Scriptor Societatis.

76. Rectè observat celebris & doctus Missionarius * in China, Sinas nuncupari Atheos, non quod positivè aut verbis aut etiam intus in corde

* *Pater Gabiani in Appendice Apologeticæ Dissertationis sect. 5. No. 11.*

negent esse Deum mundi supremum Gubernatorem, sed quod addicti carni, & rebus præsentibus ac visibilibus immersi, de invisibilibus & longinquis parum curent, nec operæ pretium existiment multum laborare in inquirendo an revera ille Deus existat, vel non existat, & quæ sit ejus vis ac potentia. N°. 52.

Adnotatio.

77. Huic doctrinæ Patris Gabiani facilè subscripserim, neque ei quicquam contrarium habet Reverendissimus Dominus Maigrot in suo Mandato, & Mandati Expositione. Sinas Literatos hujusce temporis, eorumque à quingentis aut sexcentis annis decessores atheos appellamus, quod ex eorum libris & recepta communiter inter eos doctrina, nullum aliud primum principium præter cœlum materiale admittere convincantur; quod quidem cœlum cùm summo cultu dignum putent, eique Imperator singulis annis, tanquam Literariæ sectæ caput, in amplo & magnifico templo sacrificet, Athei quidem dicuntur; sed nihil obstat quominus etiam idololatræ nuncupentur, quemadmodum veteres Persæ & Chaldæi, qui solem & ignem, res scilicet corporeas & visibiles, adorabant, inter idololatras, potius quam inter atheos numerantur, ut jam aliàs notavi.

Scriptor Societatis.

78. Missionarii Chinæ has voces *Xangti* & *Tien* usurpantes nihil aliud egerunt, nisi quod præscriptam ea de re ab Origene lib. 5. contra Celsum generalem regulam sequuti sunt : *Scyticè enim*, inquit, *& Ægyptiacè, & in omnibus linguis in qua quisque fuerit educatus, appellativum Dei nomen usurpari potest citra peccatum & errorem.* Atqui extra

extra dubium est vocem *Xangti* quæ significat *Supremus Imperator*, in China esse nomen appellativum.

Adnotatio.

79. Quod sibi tanquam certum sumit Scriptor, vocem videlicet *Xangti* esse in China nomen generale & appellativum Dei, pernegamus. Imo in tota secta Literatorum est nomen proprium ac peculiare virtutis seu efficientiæ cœli materialis, quam rerum omnium originem ac principium esse arbitrantur. Unde ad significandum Deum usurpari non debuit ex sententia Origenis, cujus ultima tantum verba retulit Scriptor, cum integrum locum afferre debuisset. Ibi enim Origenes contra Celsum docet nunquam adduci posse Christianos, ut Deum appellent Jovem, sicut Græci; vel Ammum sicut Ægyptii; vel Pappæum sicut Scythæ; tametsi Celsus contenderet diversis his nominibus eandem rem, id est supremum quoddam numen significari, ut patet ex ejus verbis paulò antè ab Origene relatis. *Quosvis cruciatus*, inquit Origenes, *perferimus potius quam Jovem fateamur Deum: nec enim eundem credimus Jovem & Sabaoth* (sic Deum Judæorum Gentiles indigitabant), *imo ne Deum quidem Jovem, sed dæmona quemdam, qui delectatur hoc nomine, infensum hominibus & inimicum vero Deo.* Etsi Ægyptii nobis suum Ammum ingerant, pœnas etiam intentantes, moriemur citiùs quam Ammum Deum appellabimus, invocatum licèt ab Ægyptiis incantatoribus. Affirment Scythæ quoque Pappæum esse illum universorum Deum, nunquam id nobis persuadebunt, credentibus quidem esse hujus universitatis unum

 Deum,

Deum, ſed non nominaturis hunc Deum Pappæum, prout vellent, quibus contigit Scythicas ſolitudines incolere, ejuſque gentis mores & linguam addiſcere.

80. Atqui nomen *Xangti* apud Sinas Literatos, ſaltem à quingentis aut ſexcentis annis vim ſeu influxum cœli materialis in res inferiores indicat, quemadmodum nomine Jovis, Dianæ, Junonis, Veſtæ, Neptuni, & aliorum Deorum, veteres quidam Philoſophi æthera ſeu cœli virtutem aliarumque naturarum efficientiam intelligebant, ut refert Tullius Lib. 1. de natura Deorum, de Zenone his verbis: *neque Jovem, neque Junonem, neque Veſtam, neque quemquam, qui ita appelletur, in Deorum habet numero, ſed rebus inanimatis atque mutis per quandam ſignificationem hæc docet tributa nomina.* Quod adhuc clariùs explicat Lib. 2. de natura Deorum, ubi per Jovem, veteres ait æthera ſignificaſſe, citans in eam rem hæc verba Ennii: *Aſpice hoc ſublime candens, quem invocant omnes Jovem.* Idem refert Lactantius de aliis Philoſophis: *Cleanthes,* inquit, *& Aneximenes æthera dicunt eſſe ſummum Deum.* Atque forte etiam nomen Ammus apud Ægyptios & nomen Pappæus apud Scythas, idem omnino ac Jupiter apud Græcos & Latinos, hoc eſt æthera ſignificabant.

81. Addit quidem Origenes: *Alioquin appellativo Dei nomine vel Scythicè vel Ægyptiacè, vel quacumque lingua in qua quiſque educatus eſt, ſi quis eum nominet, nihil peccaverit.* Sed tale ſupremi numinis appellativum nomen non videtur fuiſſe apud Sinas, à multis ſaltem ſæculis, poſtquam in profundum atheiſmi & idololatriæ Barathrum

rathrum tota gens illa defluxit ; quod expreſſè obſervat Pater Martinius initio ſuæ Hiſtoriæ Sinicæ, *De ſummo*, inquit, *ac primo rerum auctore mirum apud omnes ſilentium : quippe in tam copioſa lingua ne nomen quidem Deus habet.* Unde aut peregrinum nomen inducendum erat, aut aliquod nomen generale & appellativum ex ipſa Sinenſi lingua adoptandum fuit, quale fuit *Tienchu*, quod nulli vel certè leviſſimo ambigui periculo ſubjacebat, cum in ſola idololatrarum ſecta ad ſignificanda quædam eorum idola uſurparetur: quod de nominibus *Xangti*, *Tien*, *Tai Kie*, *Li* dici non poteſt, cum in tota Literatorum ſecta, quæ primaria & princeps eſt in univerſo Imperio, propria ſint ad ſignificandum cœlum materiale atque inſitam ei vim efficientem.

Scriptor Societatis.

82. Noſtri non utuntur iſtis vocibus (*Tien & Xangti*) abſolutè ſed eas modificando & declarando, & adjunctis aliis vocibus quæ veram illarum ſignificationem explicent ; idque tam in publicis concionibus, quam in privatis colloquiis, & in Libris eorum tum Pekini, tum in aliis primariis urbibus typis editis N°. 54.

Adnotatio.

83. Hoc ſi revera fiat, acceptum referri debet reſcripto Reverendiſſimi Patris Vittelleſchi contra vocem *Xangti*, de quo ſupra n°. 51. quanquam non planè ei obtemperetur, cum vocem illam abſolutè prohibuerit, eam ſolum in Libris Patris Riccii jam editis, ejus honoris cauſâ, retineri permittens, ut teſtatur Pater Antonius à Sancta Maria ſupra relatus. Sed ponamus ejuſmodi cautiones & declarationes à Miſſionariis

Societatis adhiberi, quotiescumque nomen *Xangti* usurpant, quod quam difficile & incommodum sit nemo non videt; quid inde emolumenti, quid utilitatis capiunt? Nempe quòd fartum tectumque sit nomen Patris Riccii aliorumque Jesuitarum, qui vocem hanc in suis Libris usurparunt. At levioris id momenti est, quam ut cum tanto incommodo nomen istud ad significandum Deum in Chinam inducatur, præsertim cum jamdiu omnium consensu nomen *Tienchu*, idem absolutè & sine ulla explicatione significet.

84. Omitto parum conveniens videri, ut soli Jesuitæ finantur, adhibitâ explicationis cautione, nomen *Xangti* usurpare. Neque enim alii Missionarii, multoque minus Laïci & simplices Christiani ad hanc se legem de non adhibenda voce *Xangti*, nisi prævia explicatione, adstringi facilè patientur; unde fiet ut alio atque alio modo Deus in tota China, non sine gravi incommodo, & quodam veluti schismate, à Christianis nominandus sit. Uno verbo cùm Patres Societatis fatentur vocem *Xangti* absolutè usurpandam non esse, eo ipso coguntur agnoscere eam esse abrogandam, ac solum nomen *Tienchu* retinendum.

Scriptor Societatis.

85. Secunda ratio est, quia in tota China notum est qualis sit religio quam profitemur, & qualis sit Deus ille, quem prædicant nostri Missionarii. . . . . Tertia ratio est, quia ter centum mille Christiani cujusvis generis & gradus per totam Chinam dispersi, tametsi pauci sint, cum multo majori numero Gentilium comparati, sufficiunt tamen, ut per eos Gentiles satis

circa hoc edoceantur de nostra lege, de ejus sublimitate & excellentia &c. No. 54.

Adnotatio.

86. Utraque hæc ratio nimis probat, adeoque nihil probat: ex iis enim sequeretur in usum admittendam esse vocem *Xangti* absolutè & sine ulla prævia explicatione; quod tamen nolunt Patres Societatis. Cur autem id nolunt? Nempe quod sentiant periculum fore, ne vox illa significatione cœli materialis in tota secta Literatorum à multis saltem sæculis receptâ intelligeretur; id quod nullatenus in voce *Tienchu*, timendum est, quæ absolutè & sine ulla explicatione pronuntiata Deum Opt. Max. apud omnes significat.

Scriptor Societatis.

87. Præterea cum hæ voces (*Xangti* & *Tien*) ab antiquis Sinis legitimo sensu ad significandum Deum justum, omnipotentem, materiæ expertem &c. usurpatæ fuerint, facilius est, ut tametsi primam significationem puram & integram non servaverint, ad illam quasi postliminio revertantur, si adsint Prædicatores veritatis, qui eam solerter explicent. No. 55.

Adnotatio.

88. Id tanquam certum sibi sumit, quod in controversiam vocatur, veteres videlicet Sinas verum Deum cognovisse & sub nomine *Xangti* adorasse. Sed hoc etiam illi gratis concesso, cum significatio verborum ab usu pendeat, obliteratâ jamdiu veteri significatione vocis *Xangti*, & novâ communi omnium Literatorum consensu à multis jam sæculis in usum inductâ, non ita facile est ut pristina illa significatio, obnitente infidelium Literatorum turbâ à Prædicatoribus Evangelii revocetur, neque id fieri

poteſt ſine gravi incommodo ob dubii ſermonis periculum in re tanti momenti, ut jam ſæpè notatum eſt.

Scriptor Societatis.

89. Præterea nomen Jovis eſt nomen proprium & individuale unius creaturæ, & quidem peſſimæ creaturæ: at alia illa nomina (*Xangti* & *Tien*) nomina ſunt appellativa & communia; ſicque juxta doctrinam Origenis rectè Deo adaptantur, ſine ullo errore aut periculo. N°. 56.

Adnotatio.

90. Jam ſupra N°. 79. obſervatum eſt *Xangti* non eſſe nomen Dei appellativum apud Sinas Literatos, à multis ſaltem ſæculis, ſed proprium nomen cœli materialis ejuſque efficientiæ, unde ex ſententia Origenis, non magis licet illud Deo adaptare, quam nomen Jovis, Ammi, vel Pappæi.

EX



EX SECUNDO SCRIPTO

CUI TITULUS:

Riſtretto delle Notizie circa l'uſo della voce Cineſ *Xangti* che ſignifica, *Supremus Imperato*, ò vero *Alti Dominus*, e della voce *Tien*, che ſignifica cœlum.

91. In hoc ſecundo ſcripto non tam breviantur prioris dicta quam aliis verbis repetuntur. Unde ſatis erit, omiſſis cæteris, ea ſolum loca perſtringere, quæ aliquam adnotationem poſtulare videantur.

Scriptor Societatis.

92. *Compertum nobis eſt (Reverendiſſimum Maigrot) Aulam nunquam frequentaſſe, neque præcipuas civitates: neque etiam Provincias magis internas illius Imperii vidit, neque unquam cum ullo Mandarino aut Literato præterquam cum quodam Baccalaureo tertii Ordinis Jeſuitarum alumno & neophyto familiarem habuit ſermonem. No. 2.

Adnotatio.

93. Hiſce jam reſpondi ſupra No. 25. Pater *Bouvet*,

G 5

* *Ex literis Patris Bouvet, & ex Relatione Patris Grellon quæ apud nos ſunt.*

vet, quem nunc Scriptor ut testem citat, Fokiensem Provinciam nunquam adiit; & valdè dubito an Pater *Grellon* urbem *Focheu* Provinciæ caput viderit. Cæterùm à vero longè absunt, si dicant Reverendissimum Maigrot cum Mandarinis nunquam congressum fuisse. Contrarium hisce oculis vidi, plusquam integrum annum cum eo in Urbe Focheu commoratus, ubi sæpè præcipui Provinciæ Mandarini illum invisebant, & cum eo familiaria colloquia miscebant. Puerilia sunt & responso indigna, quæ hîc afferuntur ad minuendam Reverendissimi Domini Maigrot auctoritatem. Baccalaûreus ille Jesuitarum neophytus, de quo mentionem facit Scriptor, Societati addictissimus est, quod ipse coram vidi in Provincia illa degens. Risu itaque excipiendum quod ait Scriptor Reverendissimum Dominum Maigrot non habuisse alium è Literatis, quem de doctrinis & ritibus Sinensium consuleret, antequam Mandatum suum publicaret, præter illum Baccalaureum Patrum Societatis alumnum & mancipium.

Scriptor Societatis.

94. Multi sunt casus, pro variis circumstantiis, in quibus sive voce, sive in scripto, usurpantur (nomina *Xangti* & *Tien*), & habita ratione declarationum ac formularum in contextu eis adjunctarum, eorum usus non solum ad exprimendum Deum licitus, sed & laudabilis evadit. Ibid.

Adnotatio.

95. Hoc loco, ut & alibi, expressè agnoscunt Patres Societatis voces *Xangti* & *Tien* non posse legitimè adhiberi ad significandum Deum, nisi adjuncta explicatione & declaratione; quod de voce *Tienchu* nemo unquam dixit. Id sæpè repetendum quia

quia hæc nominum istorum differentia, maximi momenti est in hac causa.

Scriptor Societatis.

96. Hoc ipsum est quod ante annos 70. in celebri Conventu Kiatinensi ab ipsis (Jesuitis) post longum examen statutum fuit, & in China concordatum, atque postmodum Romæ à Mutio Vittellesco Generali confirmatum. No. 3.

Adnotatio.

97. De hoc jam actum est supra No. 34. ubi primum ejusdem conventus articulum exscripsi, quocum viderint Patres Societatis an conciliari possit, id quod hîc de eodem conventu referunt. De rescripto Patris Vittelleschi Generalis notatum est No. 51. quid habeat Pater Antonius à Sancta Maria in Tractatu Cantone composito, Pater Sarpetrius in epistola ad Sac. Congregationem de propaganda fide, & Pater Antonius de Govea Viceprovincialis Societatis in epistola quam edidit Pater *Le Gobien*; quod quidem longè diversum est ab eo quod hîc de eodem rescripto Sciptor Societatis refert.

Scriptor Societatis.

98. Adversarii vocis *Xangti*, ut susceptam semel causam defendant, non dubitant concedere quod omnes antiqui Sinæ per decem aut quindecim sæcula perfectè Athei fuerint, sine ulla nequidem imperfecta & manca cognitione cujuscumque superioris potestatis quæ providentiâ suâ res humanas gubernet. No. 4.

Anotatio.

99. Perfectum illum Atheismum sine ullo vel minimo sensu divinitatis in tota veterum Sinarum natione non solùm non agnosco, sed nequidem in posteriorum sæculorum Literatis admitto. De antiquis

tiquis primisque fundatoribus Imperii Sinici & sectæ Literariæ quid tenendum sit, valdè obscurum atque incertum videtur. At verisimile est Sinas, cùm principio verum Deum cognovissent, paulatim successu temporis cœlum hoc visibile, solem & stellas pro Deo habuisse; quæ fuit etiam opinio Chaldæorum & Persarum, ac multorum veterum Philosophorum, ut non semel jam observatum est. Hi autem non propriè athei, sed potius idololatræ dicendi sunt, juxta scripturam sacram, quæ loquens de iis qui relicto veri Dei cultu, ad falsos Deos colendos deflectunt, ait Deuteron. 17. v. 3. eos pactum Dei transgredi, ut *vadant & serviant Diis alienis & adorent eos, solem & lunam & omnem militiam cœli*; de qua militia cœli, id est sole, luna, & astris, frequens etiam mentio apud Prophetas idololatriam Israëlitarum redarguentes.

100. Certè communis est omnium etiam Patrum Societatis & ipsiusmet Scriptoris sententia, Sinas Literatos à quingentis vel sexcentis annis in ejusmodi atheismum decidisse, nullum aliud primum principum præter cœlum materiale, vimque ei insitam agnoscentes. Hoc autem semel concesso, non video quæ tanta sit difficultas, aut quid repugnet, si idem dicatur de antiquis Sinis, qui per multa sæcula ante Christum natum, & ante promulgationem Evangelii vixerunt.

Scriptor Societatis.

101. Quodnam periculum ambigui sermonis esse potest in usurpandis vocibus *Xangti* & *Tien*, quandoquidem à nostris non usurpantur, nisi adjunctis aliis verbis, quibus summa Dei providentia & omnipotentia unà cum aliis ejus attributis explicantur? N°. 7.

Ad-

Adnotatio.

102. En iterum apertè fatetur Scriptor, voces *Xangti* & *Tien*, nonnisi adjuncta explicatione & declaratione, ad significandum Deum adhibendas esse.

Scriptor Societatis.

103. Tres istæ voces *Xangti*, *Tien*, & *Tienchu* in China habent unum eundemque significatum: cur igitur retenta hac tertia voce, ut innocente, duas priores tanquam idololatricas exterminare tentat (Reverendissimus Maigrot)? N°. 9.

Adnotatio.

104. Non secundùm solam etymologiam considerandæ sunt tres istæ voces, sed secundùm usum à quo pendet lex & norma loquendi. At nomina *Xangti* & *Tien* apud Sinas Literatos à longo tempore significant cœlum materiale, ejusque vim efficientem: raro verò admodum & insolenter eum significatum habet vox *Tienchu*, quæ cum jam à principio Missionis adoptata sit à Christianis & Missionariis ad significandum Deum Optimam Maximum, nullatenus jam ambigua est, atque adeò, aliis exclusis, retineri debet.

Scriptor Societatis.

105. Nomen istud Dei Sinense (*Xangti*) prorsus simile est ejus quod in Scripturis sacris vero Deo tribuitur, quando dicitur *Rex Regum & Dominus dominantium*. No. 10.

Adnotatio.

106. Non agitur hîc de nominibus generalibus & quasi adjectivis, quibus perfectiones & attributa Dei explicantur, sed de nomine appellativo, & quasi proprio ad designandum supremum numen, ut sæpè jam dictum est.

Scriptor

Scriptor Societatis.

107. Veteres illi Legislatores, ut puritatem religionis suæ & unius Dei cultum ab omni errore servarent immunem, voluerunt ut ipsi sacrificium offerri non posset, nisi in duobus cœli templis duarum Metropoleon illius Imperii, idque per manus ipsorum Imperatorum; unde etiam in eorum *Liki*, id est Rituali Libro antiquissimo tam accuratè & sigillatim præscribuntur ritus & cæremoniæ ejusmodi sacrificii. In ipsis deinde Annalibus leguntur publicæ & solemnes orationes cœlo oblatæ, &c. Nº. 12.

Adnotatio.

108. Notari hîc velim solemne hoc sacrificium ab ipso Imperatore offerri, non cœlo tantum, sed etiam terræ. In utraque enim Metropoli Imperii, extra muros civitatis duo sunt templa magnificentissima, unum Cœlo, & alterum Terræ dedicatum, & in utroque statis temporibus Imperator sacrificat, aut si impeditus fuerit, aliquem ex primis Aulicis mittit, qui ejus vice sacrificium offerat. Sive autem primis temporibus sacrificium istud vero & vivo Deo factum fuerit, ut vult Scriptor, sive cœlo visibili & materiali ejusve spiritui, hoc est virtuti effectrici, ut Longobardus * multique alii existimant; cultus ille nunquam fuit civilis & politicus, sed sacer ac religiosus, ut omnes consentiunt. Atqui sicut solius Imperatoris est spiritui cœli, quem *Xangti* vocant, & spiritui terræ sacrificare; ita ad solos Principes & Mandari-

* *Pater Semedus in Relatione Chinæ cap.* 19. *versus finem. Pater Antonius à Sancta Maria in Relatione Sinæ sectarum cap.* 16. *ms.*

darinos pertinet spiritibus montium, fluminum civitatum, ipsique Confucio tanquam totius Imperii Magistro sacrificia offerre; quibuslibet verò etiam ex plebe permittitur progenitorum suorum mortuorum spiritus colere. Cum autem varii illi cultus, tametsi in varias hominum classes distributi, ejusdem tamen sint naturæ & conditionis, & iisdem sectæ Literariæ principiis innitantur; hinc benè contra defensores cultuum Confucii & mortuorum progenitorum sic arguitur: cultus cœli proprius Imperatoris, cultus est sacer ac religiosus, non civilis & politicus; ergo similiter cultus Confucii & mortuorum progenitorum non est civilis & politicus, sed sacer ac religiosus, adeòque illicitus & idololatricus.

Scriptor Societatis.

109. Magnam utilitatem istius praxis agnoscit vir dignitate conspicuus, qui recèns ex istis partibus venit. No. 17.

Adnotatio.

110 Ubinam Reverendissimus Aleonessa hanc magnam utilitatem nominandi Deum in China vocibus *Tien* & *Xangti* agnoverit, hactenus mihi compertum non est,

Scriptor Societatis.

111. Major est ista difficultas in China, eo quod Sinæ linguam suam magnipendunt, fieretque hæc mutatio ab exteris hominibus. Ibid.

Adnotatio.

112. Infirma & futilis ratio: alicujus esset ponderis, si exclusis Sinensibus vocabulis, de introducendis Europæis ageretur: at jam usu recepta est Sinensis vox *Tienchu*, quam retinendam omnes consentiunt.

Scriptor

Scriptor Societatis.

113. Amittitur validum medium procurandæ converſionis Literatorum, quandoquidem non poterunt amplius urgeri argumento ad hominem, allegando contra eos ipſorum textus & majorum teſtimonia. Ibidem.

Adnotatio.

114. Nihil obſtat quominus, repulſa voce *Xangti*, adhuc quis argumentetur contra Literatos ex auctoritate veterum Librorum Sinenſium, ſi ex eis probare ſperat, verum ac vivum Deum ſub nomine *Xangti* olim in China cognitum fuiſſe. Sufficit, enim Chriſtianis ad rejiciendam hanc vocem, à multis jam ſæculis aliud omnino apud Sinas quam Deum verum, ſignificare. Cæterùm videant Patres Societatis ne parum hac via erga Literatos proficiant, qui facilè contendent ſe melius Libros ſuæ nationis & ſectæ intelligere, quam intelligant homines advenæ & peregrini.

Scriptor Societatis.

115. Utile eſt Deum pluribus nominibus appellare, ut melius infinitæ ejus perfectiones adumbrentur, & ſic ubique uſu venit. Unde nos non tantum Deum, ſed etiam Creatorem, Dominum univerſi, Judicem vivorum & mortuorum &c. Verùm id adhuc magis neceſſarium eſt in China ob ſectarum in ea regnantium varietatem, adeò ut nullum ſit nomen Dei, quo aliqua earum non abutatur. Quapropter nunc hoc, nunc illud, pro variis circumſtantiis, uſurpandum eſt, exempli gratia nomen *Tienchu* cum Literatis adoratoribus cœli, & nomen *Xangti* cum idololatris idolorum *Tienchu* adoratoribus, ea ratione alterutro nomi-

mine alterius defectum vel abusum supplendo. Ibid.

Adnotatio.

116. Quin pluribus nominibus utendum sit ad describendas Dei perfectiones, qualia sunt Creator omnium, universi Dominus, vivorum & mortuorum Judex, nemo in dubium vocat. De ejusmodi nominibus inter nos non agitur, sed de nomine appellativo supremi Entis, quale est Θεὸς apud Græcos, *Deus* apud Latinos. Jam verò satius est & convenientius unicum esse ejusmodi nomen, ut apparet in omnibus linguis vulgaribus. Certè recepto jam communi usu nomine *Tienchu* ad significandum Deum, non utile, sed incommodum videtur aliud ei addere. Mutato enim nomine alicujus rei, censetur etiam mutari notio ei subjecta. Unde parum conveniens, imo absurdum videtur, eosdem Evangelii Prædicatores alio atque alio nomine, pro varia hominum conditione, Deum apud ejusdem linguæ populos appellare, neque hujus nominum vicissitudinis exemplum in Apostolicis viris, qui Christum Gentilibus annuntiarunt, reperiri existimo.

Scriptor Societatis.

117. Qua in re mirum, vel potius risu dignum est, quod ait Dominus Charmot, Deum à fidelibus unico nomine appellandum, quia nominis unitas est veluti signum ac sigillum unitatis Religionis. Sed tale dictum universæ Ecclesiæ usu, & omnium Sanctorum, præsertim Sancti Dionysii in Libro de divinis nominibus, auctoritate reprobatur.

Adnotatio.

118. Nuſquam dixi idcirco Deum à fidelibus unico nomine appellandum, quia nominis unitas eſt veluti ſignum ac ſigillum unitatis Religionis. Neſcio cur Scriptor verba mea reprehenſurus, ea ferè ſemper mutat. Locus quem carpit eſt in Notis meis Sect. 3. Art. 2. No. 208. ubi refellens Obſervatorem qui Deum non unica voce, ſed pluribus apud Sinas nominandum contendebat, idque confirmabat Apoſtolorum exemplo, qui apud Græcos & Latinos non contenti voce Θεὸς & *Deus*, illum appellarunt Regem Regum, & Dominum Dominantium, hæc, inquam, refellens obſervo „ agi inter nos de ſtatuendo in „ China ſpeciali ac proprio Dei nomine, non „ verò an admittenda ſint etiam nomina gene- „ ralia, quæ verborum circuitu infinitas ejus per- „ fectiones, variaque attributa deſignent, qualia „ ſunt Rex Regum, Dominus Dominantium & „ ſimilia: quibus ſtatim adjungo; cum unitas ſit „ ex primis magiſque neceſſariis ſupremi nomi- „ nis perfectionibus, præcipuumque Religionis „ fundamentum, ſatius ac rationi convenientius „ videri, ut in unaquaque lingua unum ſit pro- „ prium ac peculiare ejus nomen, quale eſt Græ- „ cis Θεὸς, & Latinis *Deus*; idque confirmari „ autoritate Apoſtolorum ac virorum Apoſtoli- „ corum qui uno Dei nomine contenti, plura a- „ lia apud Gentiles quibus Evangelium annuncia- „ bant, non induxerunt, quod uſque hodie in „ omnibus linguis vulgaribus obſervatur.

119. Hæc ſunt verba mea, quibus non de unitate Religionis, ſed de unitate Dei diſſerui, eamque ipſa nominis Dei unitate ſignificari ac fidelium

lium mentibus imprimi ostendi. Si hæc Scriptori Societatis non arrident, aliorum forte judicio probabuntur. Certè hîc videtur alludere Lactantius, cum ex Trimegisto ait; *Deum nominis proprietate non egere, ob ipsam scilicet unitatem*; additque quod *Deo, quia semper unus est, proprium nomen est Deus. Lib. I. de Falsa Religione* N°. 6. Idque etiam confirmatur communi hominum in aliis rebus sermone. Quoties enim agitur de suprema potestate, quæ una est, ut in Regnis & in Monarchiis, uno, non pluribus nominibus designatur. Sic Rex in Gallia & Hispania, Imperator verò in Germania absolutè nominatur; & qui aliis adhuc nominibus eos vellet appellare, vulgo non intelligeretur, aut etiam in suspicionem veniret quasi principatus summique Imperii unitatem minus agnosceret.



EX

TERTIO SCRIPTO

CUI TITULUS:

Notizie circa l'uſo delle Tabelle colle parole Cineſi: *King Tien*, *Cœlum colito*.

120. NEque attendit (Reverendiſſimus Malgrot) gravem injuriam quam faciebat non ſolis Societatis Miſſionariis, qui Tabellam illam ab Imperatore acceperant, ſed etiam Miſſionariis aliorum Ordinum Religioſorum, qui initio ferè omnes illam complexi erant No. 2.

Adnotatio.

121. Falſum eſt, quod cum pace Scriptoris dixerim, omnes ferè Miſſionarios aliorum Ordinum Tabellas cum inſcriptione *Kingtien* admiſiſſe. Unus ſolus ex Seraphico Ordine nomine Pater Petrus de Pinuela, ejuſmodi tabellam in duabus Eccleſiis ſui Ordinis collocavit, idque injuſſu ſuorum Superiorum, ut ipſemet audivi à Reverendo Patre Jacobo Tarin Commiſſario Provinciali ejuſdem Ordinis cum Cantone anno 1693 commorarer. Poſtea ex Eccleſia ſua *Nanganſù* quæ eſt urbs primi ordinis Provinciæ Kianſiaenſis, illam ſuſtulit idem Pater Pinuela, neque inde ei aut aliis Miſſionariis ejuſdem Ordinis quicquam damni

damni aut incommodi accidit. Alteram Tabellam ex Ecclesia *Changlohien*, sustulit Pater Thomas Lucas, nullo inde accepto damno, aut incommodo. De his interrogari potest Reverendissimus Alconessa. Ex Ordine Prædicatorum unus solus, si benè memini, Tabellam illam in sua Ecclesia posuit, & quidem additâ ad latus declaratione & explicatione; qui tamen postmodum admonitus à Superioribus illam sustulit, sine ullo damno suo vel detrimento.

Scriptor Societatis.

122. Hìc breviter narrabo totam Historiam, quo pacto, quove tempore verba illa (Cœlum colito) scripta fuerint & Patribus nostris data ab hodierno Imperatore *Cambi*, adductâ epistolâ Patris Gabrielis Magallensis celebris Missionarii qui rei gestæ præsens adfuit, quam ex Lusitano Idiomate in Italum fideliter redditam hìc attexam. No. 5.

Adnotatio.

123. Quid juvat totam hanc Historiam de Tabella *Kingtien* inscripta referre; nisi ut patefiat non parvam esse gratiam Patrum Societatis in Aula Pekinensi ob Mathematicen, Astrologiam, aliasque similes scientias? Quod Imperator *Cambi*, comitantibus fratre, patruo aliisque Aulicis ad Ecclesiam & domum Patrum Societatis venerit, altarium imagines & picturas curiosè inspexerit, deinde hortum intraverit, ac postmodum lustratis ædibus in cubiculo Patris Buglii, variis Mathematicorum instrumentis referto, moratus sit, acceptoque penicillo ibidem prædictas duas literas *Kingtien* in tabella descripserit, hæc, inquam, singula probant quidem Principis tunc æ-

tate juvenis propensum in Jesuitas tanquam Mathematices aliarumque scientiarum Magistros suos animum; quibus tabellam istam velut amoris & benevolentiæ signum dare voluerit; sed nequaquam ostendunt, eum quicquam tunc de colendo vero Deo, quem Jesuitæ aliique Missionarii Prædicant, cogitasse, cùm hactenus principiis sectæ Literariæ, quæ nullum primum principium præter cœlum materiale agnoscit, valdè addictus fuerit, Librosque de Philosophia ediderit in quibus atheisticam hanc doctrinam tradit, ut jam supra notatum est.

Scriptor Societatis.

124. Inter omnes alias persecutiones contra nostram sanctam fidem in China exortas atrocissima, aut saltem periculosissima fuit illa quæ anno 1664. cœpit, hodierno Imperatore adhuc annis minore, ac regnum administrantibus quatuor magnis Senatoribus erga omnes Missionarios, & speciatim Patres nostros malè affectis. . . . . . Venerabili Patri Adamo Schaal Societatis nostræ, istius Missionis magno lumini & columnæ mortem attulit. &c. No. 11.

Adnotatio.

125. Quam fluxa sit & incerta ad tuendam religionem nostram gratia Principum humanis artibus ac scientiarum ope quæsita, demonstravit hæc ipsa persecutio, cui locum dedit Pater Adamus Schaal Mandarinus Mathematices. Rem narrat Illustrissimus Navarretta Tom. 1. cap. 13. pag. 346. Obierat regius infans Prædecessoris Imperatoris filius: Diem faustum sepulturæ jussus est, pro suo munere, assignare Pater Adamus. In seligendis autem ad auspicandum aliquid faftis nefastisque

fastisque diebus non parva superstitione laborant Sinæ: Selectus dies aut non placuit, aut, ut alii dicunt, à Præfecto Tribunalis Rituum, cui subest Mandarinus Mathematices mutatus fuit. Paucis post diebus Regina mater infantis obiit, ac postmodum ipsemet Imperator. Has mortes Sinæ sepulturæ regii infantis die infausto factæ attribuerunt, atque inde occasio sumpta sæviendi in Patrem Adamum, ac deinde in omnes per totum Imperium Missionarios tam Societatis Jesu, quam Ordinis Prædicatorum & Ordinis Sancti Francisci. Neque ulli causa hujus acerbitatis insolens apud Sinas videri debet. Siquidem, ut observat Pater Martinius Sinicæ Historiæ Lib. 2. loquens de Astrologis regiis, qui ob non prædictam eclipsim, morte mulctati sunt, *vel hodiè illic in more positum, ut Regius Mathematicus, si forte in munere suo ejusmodi errores admittat, capite luat.* De hac persecutione Pater Antonius de Govea è Societate, cum in urbe Cantone 23. Missionarii relegati sub custodia tenerentur, coram Patre Dominico Navarretta, tunc Missionariorum Dominicanorum Præfecto, quodam die dixit: *Pater Matthæus Riccius per Mathematicen nos in Chinam induxit, & Pater Adamus per eandem Mathematicen nunc ex ea nos eiicit:* Ibid. pag. 361.

126. Hinc licet animadvertere quàm sit contrarium Christianæ professioni officium istud Mandarini seu Præsidis Mathematices & Astrologiæ, quod tamen usque ad mortem gessit Pater Adàmus Schaal, quem hoc loco Scriptor Societatis columnam & magnum decus Sinicæ Missionis appellat; ei autem successit Pater Verbiest, huic

verò Pater Grimaldi qui hodiedum munere illo in Aula Pekinensi fungitur. Certè ipsimet Missionarii Societatis in Conventu Kiatinensi anno 1628. antequam de hoc casu supremum Collegii Romani oraculum consuluissent, Calendaria illa, quæ singulis annis à Præside Mathematices publicantur, & in quibus notantur dies fasti & nefasti, tanquam superstitionis plena reprobarunt. De hoc sic quærunt Art. 27. *An possit promulgari Calendarium Sinense ut moris est hocce tempore: constat in eo contineri gravissimos errores & superstitiones, quibus plerique Gentiles abutuntur, unde patet quid respondendum sit. Itaque respondetur: multi errores in Calendario continentur, ideoque non potest sine peccato promulgari.* Deinde Art. 28. ad quæstionem, an Præses Mathematices admitti ad baptismum posset, sic respondent: *Non potest ad baptismum admitti in Sina Mathematicorum caput, eo quod inter alia multa superstitiosa, ipsi ex officio incumbit faustos, infaustosve dies seligere &c. & ad superstitionem Sinas inducere, eisque suadere ut ex certis regulis actiones humanas dirigant.*

127. De ejusmodi Sinarum superstitionibus Pater Nicolaus Trigautius sic scribit Lib. 1. Christinæ Expeditionis Cap. 9. *Nullus toto Regno superstitiosus ritus ita latè pervasit, sicut is qui in observandis diebus horisve fastis nefastisque versatur, ut ad temporum normam negotia sua omnia moderentur. In eum finem duplex fastorum index quotannis exculditur ab Regiis Astrologis, auctoritate publica conscriptus.* De hoc agit idem Trigautius in annuis literis rerum Sinicarum titulo;

De

De quibusdam aliis quæ in Calendario Sinico reperiuntur.

128. Idem testatur Pater Semedus Part. 1. Cap. 19. *Superstitionibus*, inquit *non parvam dat occasionem Mathematicus Regius: Is enim ex aëris impressionibus, coloribus solis &c. prognostica edit. . . . . In hunc finem totius anni Almanacum construit, annum menstruis lunis dividens, lunæ verò cursum in singulos dies distribuens, quos accuratè numerat, & faustos infaustosve declarat, ad quamlibet rem vel incipiendam vel relinquendam.*

129. Hinc Pater Joannes Polancus Missionarius Ordinis Prædicatorum inter varia quæsita exhibita S. Congregationi Sancti Officii anno 1669. post explicatum ac distinctè propositum hunc casum, quæsivit utrum alicui Christianorum liceat præfati Consilii Mathematices seu Astrologiæ præfecturam, aut Senatoris officium gerere, prædictum prognosticon seu lunarium cum aliis ejusdem Collegii quotannis ordinare, impressionem aut usum præcipere, subscriptionem ac sigillum in fidem apponere &c. An verò teneatur potius officium Præsidis aut Senatoris dicti Collegii, etiam à Rege oblatum aut præceptum recusare: cui quæsito Reverendissimus Pater Laurentius Brancatus de Lauræa, & Reverendissimus Joannes Bona Sacræ Congregationis Sancti Officii Consultores delegati sic responderunt: *De Mathematicorum Collegio* &c. *Dicimus non licere Christiano Præsidis seu Senatoris officium in eo tenere, si superstitiosa illa Edicta, lunaria aut prognostica debeat ex munere subscribere, vel suo sigillo roborare, & multominus auctoritate sua illa*

 edere,

edere, sed potiùs debet Magistratum dimittere, neque potest approbare, aut concurrere ad ea facienda.

130. E re Christiana videtur esse, ut hæc duorum Consultorum responsio publico Decreto confirmetur, atque auctoritate Sedis Apostolicæ ex Missione Sinica ejusmodi scandalum auferatur.

Scriptor Societatis.

131. Hodiernus Imperator jam ex tunc benè affectus erat erga nostros Missionarios, ob ea quæ acceperat à Patre suo, qui Patris Adami Schaal in Mathematicis & in fide etiam media ex parte discipulus fuerat. Ibid.

Adnotatio.

132. Ea de re Illustrissimus Navarretta oculatus & auritus testis sic loquitur Tom. 2. Tract. 1. pag. 63. Col. 2. *Certa res est & nota Jesuitis in China, quod ipsi sæpè coram me aliis narraverunt, Imperatoris benevolentiam erga Patrem Adamum, non aliam fuisse, quam velut erga bonum senem, rerum curiosarum peritum, neque ultra progressam fuisse: idque reipsa patuit: nam duobus ante obitum annis Imperator Bonzis adhæsit, totoque hoc tempore Patris Adami oblitus est, neque Pater Adamus eum ampliùs invisit. . . . . Scimus quoque quod per duos illos annos Bonzii varios Libellos Supplices contra Legem Dei obtulerunt, qui mortuo demum Imperatore in lucem prodierunt; & consentiunt omnes Patres, quod si ille diutiùs vixisset, sine dubio Legem Dei omnino erat in China prohibiturus . . . . . . Sententiam refero omnium Missionariorum*

riorum Societatis, *excepto Auctore Relationis* [Patre Intorcetta].

Scriptor Societatis.

133. Tota hæc narratio, quæ est nota & à nullo in dubium revocatur, sola sufficeret ad judicandum an scriptum Imperiale cum his vocibus *Kingtien* fuerit publica professio atheismi, & Imperatoris artificium, ut nostros Missionarios sectæ suæ implicaret & errorum suorum participes redderet, quemadmodum ait Dominus Charmot. No. 12.

Adnotatio.

134. Hæc mihi, solito suo more, affingit Scriptor. Nusquam hæc de Imperatore *Cambi* scripsi. Quam ob causam Tabellam illam propria manu inscriptam Jesuitis dederit, haud facile est dijudicare. Benevolo id animo erga viros Mathematices aliarumque scientiarum peritos, fecisse malim credere, atque eo etiam consilio, ut hoc veluti regii patrocinii signo Pekinenses Jesuitæ adversus recentia Edicta & adversantium Mandarinorum injurias tuti essent. At nequaquam eis præcepit, ut Tabellam illam in Ecclesia sua & super Altare collocarent; neque etiam eis auctor fuit, ut alias similes Tabellas fabricarent, & ad omnes per Imperium Missionarios Societatis mitterent. Id propria sponte fecerunt ad captandam Imperatoris gratiam verba ejus scripti, quæ juxta doctrinam & sensum Literatiæ sectæ atheismum & idololatriam sonant, per adulationem in alienum, idest, Christianum sensum detorquentes: quapropter ejusmodi Tabellas in Ecclesiis collocando, se ipsos, licet imprudentes,

dentes, atheismi & idololatriæ quodammodo participes fecerunt.

Scriptor Societatis.

135. Ex dictis superiore capitulo colligitur vocem istam *Tien* in China apud ipsos Gentiles multa & diversa significatione, hoc nomine significanter exprimentes, præter cœlum materiale, etiam materiam primam, aërem, influxus. No. 13.

Adnotatio.

136. Si, fatente ipso Scriptore Societatis vox *Tien* tot & tam varia apud Sinas Gentiles significat, quis non miretur eum tanquam pro aris & focis decertare, ut ad significandum Deum adhibeatur, etiam postquam communi consensu nomen *Tienchu* ea significatione, sine ullo ambigui periculo, ab omnibus admissum est?

Scriptor Societatis.

137. Denique probatum est qualiscumque sit usus illius vocis (*Tien*) apud Gentiles, certum tamen esse quod omnes illam legitimo sensu intelligunt, cum à Christianis adhibetur ad significandum verum Deum. Ibid.

Adnotatio.

138. Illud ipsum est quod tanquam grave incommodum fugiendum videtur, ne scilicet verbo admodum ambiguo utantur Christiani ad significandum Deum, cum aliud præsto est ab omnibus jam receptum quod simili vitio non laborat.

Scriptor Societatis.

139. Quis ex Gentilibus aut Christianis Ecclesias nostras ingressus, & literis cubitalibus scriptum legens, *cœlum colito*, propè imaginem crucifixi, quæ à Christianis potissimum adoratur: Quis, inquam, eorum sibi persuadeat Christianos cœlum

lum materiale, unà cum secta Literatorum adorare? Ibid.

Adnotatio.

140. Primum gratis Scriptor imaginem crucifixi commemorat: nunquam enim probabit in Sinensibus Patrum Societatis Ecclesiis reperiri Christi Domini cruci affixi imaginem. Eum ut plurimum sub forma Salvatoris, orbis globum in manu tenentis depingunt. Deinde scriptum illud *Kingtien* non ad latus imaginis Salvatoris, sed supra collocatum est; unde Gentiles Sinæ de mysterio Incarnationis & divinitate Christi nihil aut parum edocti, facilè sibi persuadebunt *Tien*, id est cœlum longè Christo anteponendum. Denique Mandarini & Literati, qui post lectum in foribus Ecclesiæ nomen *Tienchu*, in Altari supra effigiem Salvatoris, hæc verba *Kingtien* cubitalibus literis scripta legunt; quid aliud cogitare possunt, quam *Tienchu*, alium esse à *Tien*, atque adeò Christianos accessisse ad sententiam Literatorum, qui *Tien*, id est, cœlum materiale rerum omnium principium esse putant?

Scriptor Societatis.

141. Deus ipse jussit (Hebræis) duas imagines Cherubin aureas fundere, quas ad utrumque latus Areæ ponerent, ut habetur Exod. cap. 25. hîc cessabat antiqua (imaginum) prohibitio, quia nullum ibi idololatriæ periculum erga illa simulachra, quasi Dii essent, utpote quæ visebantur in templo collocata, solummodo vel tanquam ornamentum ad decorem, vel ut scabellum ad sustentandam Arcam. Id ipsum planè dicendum de Tabellis istis in Ecclesiis Christianorum collocatis, ubi solum ad tutelam Legis nostræ, & ad ob-

obſequium Dei, quem ibi adoramus, conferunt. Ibid.

Adnotatio.

142. Hanc Tabellarum *Kingtien* cum duobus Arcæ Cherubinis comparationem ineptam atque impiam appellare non dubito. Omitto duos Cherubinos ad latus Arcæ poſitos eamque alis ſuis tegentes, malè ſcabellum ejus dici. Arca quidem figuratè dicitur ſcabellum pedum Dei 1. Paralip. 28. v. 2. quod indè promiſiſſet Deus ſe Iſraelitis locuturum: *Inde*, inquit Deus Moyſi, *præcipiam & loquar ad te ſupra propitiatorium ac de medio duorum Cherubin qui erunt ſuper Arcam teſtimonii, cuncta quæ mandabo per te filiis Iſrael. Exod. 25. v. 22.* At Cherubin eſſe ſcabellum Arcæ nemo unquam dixit. Sed hæc leviora ſunt. Gravius eſt ut ſcriptum Regis infidelis & pagani, in quo leguntur verba atheiſtica & idololatrica, cum myſticis & ſacro-ſanctis Arcæ figuris juſſu Dei fabricatis, comparetur. Quam à pietate aliena ſit hæc ſimilitudo non ſatis attendit Scriptor; unde ob ſolam imprudentiam blaſphemiæ notam effugere poteſt.

143. Sanè ut verba illa, *cœlum colito*, excluſo ſenſu atheiſtico & idololatrico Deum verum & vivum ſignificarent, non ſatis foret ut Imperator Tabellam Jeſuitis tradens, ſic ea ſe intelligere declaraſſet; quod tamen nequaquam fecit, ut ipſimet Jeſuitæ fatentur; ſed vel eam explicationem in ipſamet Tabella ponere debuiſſet, vel publico Edicto illam declarare, quod ab eo Pater Verbieſt circa vocem *Xangti*, ut eâ Chriſtiani liberè uterentur, poſtulavit, ut narrat Pater *Le Comte* in Commentariis Gallicis Tom. 2. Epiſt. 10. Alioquin

lioquin si quis solis argumentis & conjecturis verba illa de Deo Opt. Max. interpretanda contendat, nunquam efficiet quin Tabella, ut profana & pagana ex Ecclesiis nostris ejicienda sit.

144. Ejus rei experimentum faciant in alma urbe Patres Societatis Tabellam cubitalibus literis inscriptam his verbis: *cœlum colito*, in propria Ecclesia supra tabernaculum sanctissimi Sacramenti, ab omnibus adorandam appendant, aut ab aliquo supra Altare Basilicæ Sancti Petri collocari curent. Quamlibet cum eis sponsionem facio, ni Superiorum auctoritate statim Tabella illa tollatur, tradenda etiam forte igni ad comburendum, & ni contra ejus facti auctores, jubente S. Congregatione Sancti Officii, inquiratur: & tamen norunt fideles, tum ex lectione Scripturæ Sacræ, tum usu publico sæpè Deum Opt. Max. nomine cœli significari. Quid ergo dicendum de ejusmodi tabella collocata in Ecclesiis Chinæ, ubi Literaria secta toto Imperio regnans, per cœlum nihil aliud intelligit, præter cœlum materiale, illud tanquam rerum omnium principium agnoscens?

Scriptor Societatis.

145. Nos habemus testimonia fide digna, quæ affirmant Principem illum (*Cambi*) nunc regnantem multam habere intelligentiam, multamque Dei cognitionem; quin etiam aliquam non vulgarem dispositionem ad amplexandam nostram sanctam Legem. No. 15.

Adnotatio.

146. Testimonia illa sunt domestica, duorum videlicet, Patrum Societatis, Patris Joachimi *Bouvet*, & Patris Ludovici *Le Comte*, qui ex Aula Pe-

Pekinensi reduces, hæc de Imperatore *Cambi* narrant. Sed cum hactenus nullus Missionarius, præter Jesuitas Pekini resideat, multumque eorum intersit navatam ibi pro religione operam suam venditare, æquo animo patiantur nos ejusmodi testimoniis plenam fidem non adhibere.

Scriptor Societatis.

147. Omnibus notum est Edictum Cyri Persarum Regis in favorem Hebræorum tunc in Babylonia exulum: *Hæc dicit Cyrus Rex Persarum: omnia regna terræ dedit mihi Dominus Deus cæli.* No. 18.

Adnotatio.

148. Nihil scriptorem juvat hoc exemplum, sed potius in eum retorquetur. Clara & aperta erant verba Cyri, nullique dubium quin per Dominum cœli intelligeret Deum Hebræorum, cujus Templum Hierosolymis reædificari jubebat. Si quidem hoc nomen *Deus cœli*, quod antea vix in Sacra Scriptura reperias, post captivitatem Babylonicam usurpari cœpit apud Babylonios aliosque Gentiles populos, ad significandum Deum Opt. Max. loco nominis *Jehova* aliorumque nominum linguæ sanctæ, quam non noverant, vel pronuntiare non poterant. Id pateat ex Libris Esdræ, Tobiæ & Danielis, ubi sæpè Dei cœli nomine Deus Opt. Max. appellatur, ut à cæteris qui Dii dicuntur, & non sunt, distinguatur At secus res se habet in nostro casu. Nam vox *Tien* non solum ambigua est, verùm etiam publico Sinensium usu nequaquam Deum verum & vivum, sed cœlum materiale significat.

Scriptor Societatis.

149. Dominus Charmot si ibi præsens fuisset, cum

[cum Alexander Magnus Hierosolymam ingressus est], forsan judicasset Alexandrum sub sacro nomine *Jehova* adorasse falsum Jovem, cujus se filium habere cupiebat. No. 19.

Adnotatio.

150. Jocosa hæc dicta neque causæ neque personis congruunt, præsertim cùm sint etiam falsa. Quid enim commune inter Alexandrum Hyerosolimis nomen tetragrammaton *Jehova*, supra frontem occurrentis ei Pontificis Maximi adorantem, & Imperatorem *Cambi* Tabellam cum his vocibus; *cœlum colito*, Jesuitis Pekinensibus in familiari congressu, tanquam suis in Astrologia Magistris donantem?

Scriptor Societatis.

151. Posito itaque quod totum illud esset verum (Imperatorem *Cambi* nullam habere religionem), cur recusandum fuisset donum quo Patres nostros muneratus est, quandoquidem nihil attendendo ad impietatem & idololatriam, hac sua actione ostendebat se, saltem extrinsecus, Deum, quem adorant Christiani, venerari velle. No. 21.

Adnotatio.

152. Gratis supponit quod in quæstione versatur, videlicet Tabellam illam ab Imperatore *Cambi* in signum venerationis erga Deum Christianorum Jesuitis donatam fuisse. Deinde nemini in mentem venit eos culpare quod datam ab Imperatore Tabellam acceperint, sed quod in Ecclesia, & super Altare ab omnibus venerandam collocarint.

Scriptor Societatis.

153. Est Romæ vir in dignitate constitutus qui recèns ex illis partibus advenit. Hic testificatur Imperatorem Chinæ iter habentem, quotiescumque transit per loca, in quibus sint Christianorum Ecclesiæ, duos ex primariis Mandarinis sui comitatus mittere, qui in eis nomine suo salutatorias venerationes & orationes peragant. No. 22.

Adnotatio.

154. Narrat quidem Reverendissimus Aleonessa semel Imperatorem *Cambi*, cum Nankini coram Ecclesia Patrum Societatis transiret, adstantibus in porta iisdem Patribus, Ecclesiam ingressum fuisse: sed quod id frequenter faciat, vel quod primos ex comitatu suo Mandarinos mittere soleat in Christianorum Ecclesiis nomine suo salutatorias venerationes & orationes peracturos non dicit Reverendissimus Aleonessa; neque Jesuitis, si id dicant, facilè credendum videtur.

Scriptor Societatis.

155. Si scripsisset (Imperator) *King Xangti*, vel *King Tienchu*, ista etiam verba æquè accipi poterant in sensu idololatrico. Ibid.

Adnotatio.

156. Ex duobus verbis *Tien* & *Xangti* apud Literatos receptis, prius magis suspectum est, minusque aptum ad significandum verum Deum, quam posterius. *Tien* enim propriè apud eos significat ipsum cœlum visibile & materiale; *Xangti* verò spiritum *cœli*, qui etsi Literatorum à multis saltem sæculis, sensu, nihil aliud sit, quam virtus efficiens, ipsi cœlo indita, facilius tamen ad significandum Deum verum & vivum torqueri posset.

posset. Itaque Tabella inscripta his vocibus *Kingtien*, longè pejor est quam si inscripta fuisset hoc modo: *King Xangti*. At si placuisset Imperatori ponere: *Kingtienchu*, cum hæc vox *Tienchu* publico jam usu Deum Christianorum significet, facilè omnes intellexissent eum veritatem Christianæ religionis agnoscere, & forte de suscipiendo baptismo cogitare. At quia longè adhuc abest à regno Dei, non vocem *Tienchu*, sed vocem *Tien* adhibuit. Id etiam patet ex Edicto quod duobus circiter post annis in favorem Christianæ religionis publicavit, ubi loquens de Deo Christianorum non vocem *Tien* aut *Xangti*, sed vocem *Tienchu* adhibuit, ut jam supra notatum est, quia hoc loco clarè & disertè Deum Christianorum indicare volebat.

Scriptor Societatis.

157. Qualiscumque fuerit intus mens Imperatoris hodierni, & qualiscumque sit ejus de Deo opinio, saltem circumstantiæ, in quibus præfatas voces scripsit, easque in manibus Patrum nostrorum tanquam insigne pignus sui erga illos amoris reliquit, apertè omnibus declarant, non eo consilio illum id fecisse, ut illos ad adorandum cœlum materiale invitaret. No. 24.

Adnotatio.

158. In hoc graviter labitur scriptor, quod existimet ad purgandas has voces, *cœlum colito*, omni superstitione & idololatria, satis fuisse, ut Imperator illas apud se recto sensu & ad doctrinam Christianam accommodato intellexerit. De hoc videsis notata supra No. 143.

Scriptor Societatis.

159. Ante illud Edictum excusari facilius poterat

terat quisquis aut aliquo scrupulo angebatur, aut aliquam difficultatem movebat adversus scriptum Imperatoris cum vocibus *Kingtien*, sed post illud Imperiale Edictum, si quid erat nebulosæ caliginis, quod verum illarum vocum sensum obscuraret, totum jam evanuit. No. 25.

Adnotatio.

160. Cum in Edicto Deus Christianorum *Tienchu*, non *Tien* appellctur, Tabellarum *Kingtien* difficultas non tollitur per Edictum, sed potius augetur. Non enim attendendum quid forte Imperator in scribendo voces illas in mente habuerit, sed quid communi usu apud Literatos totamque nationem Sinarum significent.

Scriptor Societatis.

161. Nos respondemus scrupulos istos non ortos esse in China, sed extra illam, & excitatos esse ab hominibus linguæ ac morum Sinensium parum peritis. No. 27.

Adnotatio.

162. Scriptor his verbis obliquè significat primos reprehensores Tabellarum *Kingtien* fuisse Patres Dominicanos Philippinarum, qui Missionariis sui Ordinis earum usum interdixerunt. Frustra autem ait eos linguæ & morum Sinensium parum peritos fuisse, cum Philippinas inter Insulas & Chinam frequens sit commercium, & Manilæ amplus sit vicus Sinensium Mercatorum, quibus instruendis semper unus ex Patribus Dominicanis destinatur. Deinde falsò supponit magnam linguæ ac morum Sinensium peritiam requiri, ut quis agnoscat tabellas de quibus agitur, rejiciendas esse, cum id cuivis promptum sit judicare, modò significationem vocis *Tien* apud Sinas Litera-

teratos attendat, & ſano ac libero judicio de hac quæſtione decernat.

Scriptor Societatis.

163. Saltem conſtat cunctos, aut quaſi cunctos Miſſionarios aliorum Ordinum initio tabellas illas admiſiſſe, & in Eccleſiis ſuis repoſuiſſe N°. 27.

Adnotatio.

164. Quàm hoc ſit à vero alienum jam dixi ſupra N°. 121.

Scriptor Societatis.

165. An autem Tabellæ iſtæ religioni utiles & opportunæ fuerint, eventus demonſtravit, quandoquidem illarum auctoritate cœpit, magna cum libertate per univerſam Chinam celebrari prædicatio Evangelii, quantumvis adhuc vigerent Imperialia Edicta, eam ſeverè prohibentia. Quantum verò damnum & detrimentum, imo quanta labes toti Miſſioni Sinenſi impenderet, ſi omnino prohiberentur prædictæ Tabellæ, & ex omnibus Chriſtianorum Eccleſiis tollerentur &c. N°. 28.

Adnotatio.

166. In rebus ad religionem ſpectantibus, & ubi de præceptis divinis agitur, non quid utile & commodum, aut quid è contra damnoſum eſſe poſſit, attendi debet. Si verba Tabellis inſcripta atheiſmum & idololatriam ſapiunt, eas in Ec-

clesiis & supra Altare collocare fas non est, tametsi inde totius Missionis salus & prosperitas spectaretur: non enim facienda mala, ut veniant bona. Neque etiam ubi semel easdem Tabellas atheismo & idololatria infectas esse concesseris, metus aut periculum impendentis persecutionis impedire potest, quominus ex Ecclesiis ubi repositæ sunt, ejiciantur. Quis enim non videt, si horum ratio habita esset, vix unquam futuras fuisse persecutiones quibus Christiana fides primis sæculis mirum in modum propagata est, cum sanguis Martyrum fieret semen Christianorum?

167. Valdè cavendum nobis est, ne in perficiendo opere Dei prudentiam carnis, quam mortem appellat Apostolus, potius quam prudentiam spiritus sequamur. Sublatæ sunt jam ejusmodi Tabellæ ex multis Ecclesiis sine ullo strepitu aut incommodo, idque etiam in primariis urbibus, qualis est *Nanganfù*, quæ est inter civitates primi ordinis, ut supra observatum est: quidni igitur idem etiam sperari possit de Ecclesiis Pekinensibus Patrum Societatis, præsertim cùm tanta gratia polleant apud Imperatorem, quem etiam ut singulari prudentia, humanitate ac solertia præditum nobis exhibent: unde confidendum fore ut, Deo cor ejus movente, hanc Tabellarum suppressionem æqui bonique consulat, & inde Christianæ religionis puritatem, quæ nulla se superstitionis & idololatriæ labe contaminari patiatur, magis magisque agnoscat & admiretur. Sed ponamus

namus hanc Tabellarum ſuppreſſionem valdè illi diſpliciturum, atque inde non parvum detrimentum rem Chriſtianam eſſe paſſuram; an idcirco admittenda erit idololatria; & quod tanquam malum ex cæteris Chinæ Eccleſiis exterminandum judicatur, in urbe Pekini, ob gratiam Imperatoris conſervandam, tolerandum erit? Quàm hæc parum ſibi cohæreant, & à Chriſtiana pietate ac prudentia aliena ſint, nemo non videt.



EX
QUARTO SCRIPTO
CUI TITULUS:

Breve riſtretto delle Notizie già dedotte circa l'uſo delle Tabelle colle parole : *Kingtien, cœlum colito.*

Scriptor Societatis.

168. NOn ſolum à Patribus Societatis verum etiam à Miſſionariis aliorum Ordinum religioſorum, & ſpeciatim à Patre Fratre Gregorio Lopez Dominicano publicè in eorum Eccleſiis appenſæ fuerunt. §. *L'Imperatore.*

Adnotatio.

169. Omnes illi Ordines religioſi, ad duos, videlicet Prædicatorum & Minorum, & omnes Miſſionarii ad tres aut quatuor rediguntur, unum videlicet ex Ordine Minorum nomine Patrem Petrum de Pinuela, & duos forſan ex Ordine Prædicatorum, qui omnes inſciis & inconſultis Superioribus ſuis id fecerunt, ut jam ſupra obſervatum eſt No. 121. De Patre Gregorio Lopez qui anno 1675. quo factæ ſunt prædictæ Tabellæ,

bellæ, Episcopus Basilitanus jam erat ordinatus, an eas in Ecclesiis suis appenderit mihi incertum est; de hoc interrogari posset Reverendissimus Aleonessa. Cæterùm quàm fuerit Patribus Societatis variis de causis obnoxius jam observavi in Notis meis Sect. 1. Art. 7. No. 79. & seqq.

Scriptor Societatis.

170. Tabellæ illæ per annos duodecim in omnibus fere Ecclesiis & à cunctis Missionariis sine ullo scrupulo ullave contradictione publicè habitæ sunt. Ibid.

Adnotatio.

171. Longum illud annorum spatium valdè mihi suspectum est, vel potius omnino falsum videtur. Ubi enim primùm Provincialis aliique Superiores Ordinis Prædicatorum in Philippinis rescierunt duos aut tres Missionarios Dominicanos Tabellas illas in Ecclesiis suis appendisse, statim mandaverunt ut eas tollerent. De Patre de Pinuela Franciscano, certus sum quod ejus Ecclesia in urbe *Nanghanfù*, paucis ante publicatum Reverendissimi Domini Maigrot Mandatum erecta fuit, neque etiam altera ejus Ecclesia loci *Changlo* valdè antiqua erat.

Scriptor Societatis.

172. Donec contra illas (Tabellas) classicum cecinit quidam Pater Frater *Luxan* &c. Ibid.

Adnotatio.

173. Quæcumque hîc ex Relatione Patris Adriani *Grellon* Jesuitæ de Patre *Luxan* Dominicano referuntur, parvam fidem apud me habent,

qui probè norim quàm credulus & facilis ad texendas de aliis historias fuerit bonus ille Pater *Grellon*, quod multis exemplis confirmare possem. Patrem *Luxan* quod attinet, eum in Metropoli Fokiensi vidi, & tum à nostris Missionariis, tum à Patre Emmanuelo *Trigueros* Dominicano, illum Sinenses literas callere audivi. Missionem autem Sinicam, aut tædio victus, aut à Superioribus revocatus deseruisse gratis hîc dicitur, cum altera vice, quando illum vidi, jam in Chinam venisset, ubi eum adhuc degere puto.

Scriptor Societatis.

174. Patri Fratri *Luxan* adjunxit se quidam Pater Frater Lucas *Thomas* diversi Ordinis, sed æque novus in China, & linguæ ac literarum Sinensium rudis, qui tabellas illas statim ut idololatricas habens, non solum eas ex locis ubi collocatæ erant, sustulit, sed publicè in frusta comminuit.

Adnotatio.

175. De Patre Luca *Thomas* Franciscano actum est in Brevibus Notationibus N°. 114. In sua ad Reverendissimum Dominum Maigrot epistolâ non ait se Tabellas *Kingtien* publicè in frusta comminuisse, sed tantum ex Ecclesia sustulisse, nullo prorsus contradicente, imo tali executioni suffragantibus cunctis. Cæterum si in frusta publicè comminuit, inde probaretur multo facilius ex aliis Ecclesiis sine ullo tumultus aut persecutionis periculo, tolli posse.

Scriptor

Scriptor Societatis.

176. Origenis est doctrina, Deum apud quamlibet nationem appellari posse nomine appellativo, quod ens aliquod supremum & excellentissimum significet. Tale autem esse nomen *Tien*, dubium non est nequidem ipsismet Sinis atheistis, qui hoc nomine (præterquam quod Deum significet) nunc cœlum materiale, nunc cœli influxus, nunc cujusque hominis intellectum & rationem significant. §. *Mà quando.*

Adnotatio.

177. Sententiam Origenis pessimè interpretatur Scriptor, ut ostendi supra N°. 79. malè omnino appellativum nomen confundit, cum nomine generali seu potius ambiguo, quod res multas etiam planè diversas significat, quale est, inquiunt Grammatici, nomen Taurus, quo eodem bos masculus, & mons Asiæ, tametsi res diversissimæ significantur. Hujusmodi est vocabulum *Tien* apud Sinas, teste ipsomet Scriptore hoc loco. Unde nequaquam apud illos appellativum supremi Entis nomen dici potest, quale est Θεὸς apud Græcos, *Deus* apud Latinos. Imo nullum propriè appellativum Dei nomen habuêre Sinæ, ex quo in atheismi & idololatriæ barathrum delapsi sunt, unde necesse fuit ut à Missionariis adoptaretur nomen *Tienchu*, ut jam antea observavi No. 81.

Scriptor Societatis.

178. Prima circumstantia est causa ob quam Impe-

Imperator hæc verba ſcripſit, quæ quidem fuit ut publicè velut titulus Eccleſiæ noſtræ affigerentur. Id teſtatur in ſcriptura propria manu ſubſcripta, quam penes nos habemus, Pater Ferdinandus *Verbieſt*, dilectiſſimus Magiſter ſupradicti Imperatoris, qui præſens adfuit, quando ab Imperatore ſcripta ſunt verba illa; *coram Patribus Pekinenſibus*, inquit, *ſumpto penicillo charactere Sinico, eoque maximo titulum propria manu conſcripſit templo noſtro affigendum, quem die ſequenti regio ſigillo impreſſo ad nos mitti curavit &c.* §. *La prima.*

Adnotatio.

179. Verba iſta Patris Verbieſt; *templo noſtro affigendum*, ſunt ambigua, videnturque ſolum ſignificare Tabellam illam in Eccleſia Miſſionariorum Societatis ſupra altare collocatam fuiſſe, non verò quod id voluerit aut juſſerit Imperator.

Scriptor Societatis.

180. Titulus intra Eccleſiam poſitus illud ipſum ſignificarat, quod ſignificat titulus qui extra viſitur, in quo legebatur & adhuc legitur: *Templum cœli Domino.* Ibid.

Adnotatio.

181. Titulus Eccleſiarum præ foribus ſcriptus eſt: *Tienchu tang*, *Templum Domini cœli*: verba autem Tabellæ de qua agitur, ſunt *Kingtien*, *cœlum colito.* Quantum autem *Tien* & *Tienchu* ſignificatione differant, maximè poſtquam poſterius hoc verbum ad ſignificandum Deum Opt. Max.

à

à Christianis adoptatum est, jam sæpè adnotavi.

Scriptor Societatis.

182. Horum omnium boni sunt testes & Iudices ipsimet Sinæ infideles, qui Ecclesias nostras intrando & hanc inscriptionem supra portam legendo, *cœlum colito*, non foras exeunt in apricum ut cœlum materiale adorent, neque ad eandem portam se convertunt suas genuflexiones facturi, sed ab ea aversi caput usque ad terram inclinant coram imagine Christi; quod evidens est signum & argumentum, verba illa eo loco posita ipsis non indicare cœlum materiale, sed Deum verum quem adoramus & prædicamus. §. *La Terza.*

Adnotatio.

183. Perplexa & confusa scriptoris oratio. Quid sibi vult cum hac supra portam Ecclesiarum inscriptione: *cœlum colito*? Non hæc reperitur præ foribus Ecclesiarum in China, sed *Tienchu tang*, *Templum Domini cœli.* Tabellæ autem his verbis inscriptæ: *cœlum colito* in Ecclesiis Patrum Societatis supra altare & juxta imaginem Christi collocatæ sunt, ut ipsemet Scriptor sæpè observat, ut inde inferat eas omni periculo idololatriæ vacare, cum ex vicina Christi imagine ad significandum verum Deum determinentur. Quid autem nobis narrat de Sinis Gentilibus ad Ecclesiæ portam minimè revertentibus, neque etiam extra exeuntibus, ut cœlum materiale adorent, sed caput usque ad terram coram imagine Christi inclinantibus; quasi verò cœlum coram

Ta-

Tabella *Kingtien* colere non possint, nisi in aprico posita sit, unde cœlum ipsum intueantur; aut quasi soliti essent Christi Domini imaginem, demisso usque ad terram capite, adorare, quando Ecclesias nostras intrant. De his interroget Reverendissimum Aleonessa, & ab eo discet plerosque Sinas Gentiles, solà curiositate adductos, Ecclesias nostras intrare, & cùm eis ostenditur imago Christi, cumque audiunt esse Dominum & Salvatorem nostrum, quosdam solere inclinato capite eam salutare, sed nequaquam prono in terram corpore solum fronte percutiunt, prout in Templis, aut Pagodis suis coram Tabellis Confucii & mortuorum, vel coram idolis facere consueverunt.

Scriptor Societatis.

184. Cum fundamento credimus eum (Imperatorem *Cambi*) non esse atheum neque idololatram; sed habere notitiam veri Dei. De quo plura habemus argumenta, ac præterea virorum gravium ac fide dignorum testimonium juramento confirmatum . . . . . Quod si in aliis occasionibus aliqua signa dedit aut etiamnum dat in favorem sectæ idololatrarum, aut cultorum cœli materialis, id tantum probat, eum nondum esse perfectum Christianum, sed Semichristianum, neque adhuc in hac bona fide & persuasione firmum & assuefactum consistere. §. *La Quinta.*

Ad-

Adnotatio.

185. Quam fidem mereatur duorum aut trium Patrum Societatis in propria causa testimonium, jam supra observavi. Adjunctum ab uno eorum jusjurandum parum curabit, quisquis communem in eorum scholis doctrinam de licito usu ambigui sermonis & restrictionum mentalium attenderit. Sed ponamus Imperatorem *Cambi* aliquam habere veri Dei notitiam, numquid ea cognitio sufficit, ut dicatur nondum quidem perfectus Christianus, at saltem Semichristianus?

186. Plures ex antiquis Philosophis Deum verum cognoverunt, quia quod notum est Dei manifestum illis erat, ut loquitur Apostolus; qui tamen, ut statim addit idem Apostolus, cum Deum cognovissent, non sicut Deum glorificaverunt, aut gratias egerunt, sed evanuerunt in cogitationibus suis, & obscuratum est insipiens cor eorum. Rom. 1. v. 21. Quin & Platonici, licèt de uno vero Deo benè senserint, multis tamen Diis, sicut & ipse Plato, sacra facienda putaverunt, ut ait S. August. Lib. 8. de civitate Dei cap. 12. Num hos omnes Christianos, licet imperfectos, quis dixerit? Sanè potiori adhuc titulo Semichristiani essent Judæi & Mahometani qui unum verum Deum ita colunt, ut à cultu falsorum Deorum omnino abhorreant. Nemo nequidem ex aliqua parte dicendus est Christianus, nisi qui uni Deo vero & vivo per fidem Jesu Christi servire instituit. Semichristianos, vel potius Semipaganos veriùs quis dixe-

rit

rit Neophytos Patrum Societatis, qui cum unius Dei veri & vivi ac Jesû Christi Salvatoris nostri cultu superstitiosum atque idololatricum Confucii Philosophi ac mortuorum parentum cultum conjungunt.

Scriptor Societatis.

187. Idem Imperator anno 1696. Patribus nostris amplum locum intra palatii sui Pekinensis ambitum concessit, ut in eo magnificum vero Deo templum construatur.

Adnotatio.

188. Pater *Bouvet* ejusque socii rem, prout ipsis libet, narrant & amplificant. De construendo magnifico Templo nihil hactenus ab aliis auditum. Porrò notandum Pekinense palatium instar amplæ civitatis, triplici murorum septo distinctum esse. Intra primi septi ambitum Imperator Jesuitis Gallis ædes construi jussit; id autem sic contigit, uti audivi ab ipsomet Patre *Bouvet*, & didici literis ejusdem Patris *Bouvet* & Patris *Gerbillon* Pekino scriptis ad Patrem *Fontenay* tunc Cantoni degentem, qui nobiscum eas communicabat. Eo tempore Pater *Fontenay* unà cum Patre *Visdelou* apud nos Cantoni diversabatur, cum eos Jesuitæ Lusitani apud se hospitio excipere noluissent. Quod quidem dissidium Jesuitas inter Gallos & Lusitanos adhuc magis Pekini vigebat, Patre *Perreira* Viceprovinciali aliisque Jesuitis Lusitanis ægrè ferentibus Patrem *Gerbillon* & Patrem *Bouvet* ob Mathematicen aliasque scientias apud Imperatorem gratia prævalere.

lere. Itaque hi, ut novo se præsidio munirent, suaserunt Imperatori, ut Patres *Fontenay* & *Visdelou* Cantone arcesseret, quibus aliud à domo Patrum Lusitanorum hospitium paraverunt. Pekinum advenientibus Pater *Perreira* Viceprovincialis occurrit, & ut apud se diverlarentur invitavit. At illi ad paratum sibi à Patribus *Gerbillon* & *Bouvet* hospitium diverterunt; quod ita ægrè tulit Pater Viceprovincialis, ut contra eos censuris agere cœperit, ac tandem renuentes ejus jussis obtemperare, excommunicarit, quæ res ad Principum Aulæ Pekinensis ipsiusque Imperatoris aures non sine gravi scandalo pervenit. Contigit autem, ut eodem tempore Imperator gravi morbo decumberet, datisque opportunè ab iisdem Patribus Jesuitis remediis ac medicinis convaluerit, ita ut eorumdem Patrum beneficio se vivere publicè dixerit: unde eis intra palatii ambitum domum parari jussit.


189. Hæc autem Jesuitarum inter se dissensio ac discordia, magno infidelium scandalo, & totius Missionis damno, hucusque durat; tametsi excommunicatio lata à Patre Perreira Viceprovinciali revocata sit à Reverendissimo Aleonessa tanquam Vicario & Delegato Apostolico, de quo ipse interrogari potest. Ejusmodi verò dissensiones & pugnas animadvertens Imperator inter Jesuitas Lusitanos & Gallos Pekini degentes Aulicis suis ac Ministris dixit, se jam videre quod Missionarii in Chinam non solo religionis propagandæ zelo adveniant, quodque Religio Christiana à Bonziorum Religione non mul-

tum differat, cum utrique religionis specie sua quærant commoda. Hæc ita referuntur in autenticis documentis quæ penes me habeo, & quæ, si jusserit Sacra Congregatio, paratus sum exhibere.

F I N I S.



EPI-



EPISTOLA

DD. SUPERIORIS

ET

DIRECTORUM

SEMINARII PARISIENSIS MISSIONUM

Pro converſione Gentium.

Ad Eminentiſſimos Cardinales S. Congregationis Sancti Officii.

Eminentiſſimi Patres.

AUdimus undique vehementerque dolemus omnes Romæ moveri machinas, novis etiam in dies Principum Regumque ſollicitationibus adhibitis & adhibendis, ut inchoati ac penè conſummati Sinenſium Ri-

tuum negotii judicium retardando impediatur.

Humillimè quidem & reverentissimè jam scribere Pontifici Maximo ausi sumus, omnemque in lite tanti momenti dirimenda diligentiam instantissimè popoſcimus; sed nisi summa nostra in suam Sanctitatem reverentia obstaret, iteratis & frequentibus literis supremum Christi Vicarium urgeremus; abstinemus tamen, ne simus molesti.

Ne quid autem ex parte nostra desideretur, quo res adeò gravis accelerari queat & finiri, ad Eminentias Vestras ultrò recurrimus, nullo aliunde freti præsidio, non confidentes in filiis hominum, nec sperantes in hujus sæculi Principibus in quibus non est salus; nullum aliud quam Dei Opt. Max. patrocinium apud Eminentias Vestras quærimus, Eminentissimi Patres, ejusque unius nomine Romani Tribunalis æquitatem imploramus, ut factis, de quibus nunc agitur, tam nitidè elucidatis, totque testium & maximè Reverendissimi Episcopi Berytensis calculo comprobatis, nullâ jam dilatione lis protrahatur.

Constat modò de ritibus idololatricis aut superstitiosis, tam ex Sinicis ritualibus, quam ex ipsorummet Adversariorum scriptis, in quibus illa non modo non negata sunt, sed potius tanquam innoxia acerrimè propugnata.

Quantumvis verò non ita de apertissimo veneno constaret ut certè liquidò constat, solum idololatriæ & superstitionis periculum sufficeret ad pravos ejusmodi usus decretoriâ sententiâ ferien-

riendos. Immò fœdum inter Evangelicos operarios hac in re ſchiſma in tantum diſcrimen rem Chriſtianam adducit, ut nunquam ſat citò poſſit extingui, quocumque tandem modo cauſa finiatur.

Nullâ jam morâ vel leviſſimâ utendum eſt, cùm intra proximum Januarii menſem naves Gallicæ ſoluturæ ſint è portu, quæ veſtrarum Eminentiarum Decreta, Conſtitutioneſque Apoſtolicas in Indias citiſſimè transferant, quæ occaſio peropportuna ſi elabi ſinatur, mali quotidiè ingraveſcentis remedium unicum anno integro retardari neceſſe eſt.

Agite itaque, Eminentiſſimi Patres, & pro veſtrâ ſapientiâ, veſtroque zelo, tandem aliquando judicate. Non audiant amplius Eminentiæ Veſtræ vanos & futiles procraſtinandi prætextus. Inſurgant in publicum idololatriæ & ſchiſmatis ſcandalum; utrumque uno ictu confodiant; omnibus Evangelii Præconibus eandem regendis Chriſti fidelibus normam, legemque communem imponant; æternam illis imperent erga Sanctam Sedem hac in parte obedientiam; æternum ea de re inter ſe ſilentium; æternum mutuæ inter ipſos concordiæ & charitatis exemplum; æternum denique uni Deo, proſcriptâ omni ſuperſtitione, latriæ cultum. Ita nempe Innocentii XII. Pontificatus immortali gloria coronabitur: ita Eminentiarum Veſtrarum nomen ſæculis retrò univerſis celebrabitur: ita ex vaſtiſſimo Sinarum imperio Eccleſia glorioſa non habens maculam aut rugam exhibebitur: ita denique totus Orbis Chriſtianus, diſſipata in partibus Orientis idolola-

triæ nube, nova in posterum etiam apud infideles luce perfundetur. Id unum habent in votis

Eminentissimi Patres

Eminentiarum Vestrarum

Humillimi & obsequentissimi servi Superior & Directores Seminarii Parisiensis pro conversione Gentium. *Tiberge* Superior, *De Brisacier*, *Pocquet*, *Tremblay*, *De Cicé*, *l'Abbé*, *de la Vigne*.

Parisiis die 16. Novemb. 1699.

Oblat. S. Congregationi Sancti Officii die 14. *mensis Decemb.* 1699.

INDEX



INDEX.

FINIS.

